

**05**

**A**

**1155**









I. N. J.  
DISPUTATIONEM ANTIGROTIANAM  
IN  
CAP. XXXI. & XXXII. JEREMIAE

*Sub Praesidio*

*Perit.*

DN. ABRAHAM CALOVII

Theologi in Acad. VVittenb. Primarii, Consistorii As-  
fessoris, Pastoris & Electoratus Saxonici Supe-  
rintendentis Generalis; Domini, Praeceptoris, Patro-  
ni atq; Affinis reverenter colendi  
publicè defendet

M. Polycarpus Caspar Lyserus.

In Auditorio Majori ad d. 12. Novembr.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS BORCKARDI, Anno M DC LXIII.





PROTO-SYNEDRII ELECTOR. ECCLESIASTICI,  
Quod Dresdæ est,

CONSILIARIIS SPLENDIDISSIMIS,  
Et quidem

PRÆSIDI EMINENTISSIMO

PRÆILLUSTRI AC GENEROSISSIMO  
DOMINO

DN. CAROLO

LIBERO BARONI à FRISEN, DOMINO  
in Rothau/ Rotha &c. Serenisf. Electoris  
saxon. Consiliario intimo & Cubiculario Comiti &c.

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO



054 1155



CÆTERISQUE EJUSDEM  
ASSESSORIBUS GRAVISSIMIS,

V I R I S

*Summe Reverendis, Nobilissimis, Consultissimis,  
Magnificis atq; Amplissimis*

*Tum Theologis de Ecclesia Christi Meritissimis*

**DN. JACOBO VVELLERO**

à Moledorff/Hæreditario in Karsdorff/S.S. Th. Doct.

Nominatissimo, Sereniss. Electori Saxonico à

Concionibus Aulicis primariis

& confessionibus Sacris &c.

**DN. CHRISTOPHORO BULAEO**

S.S. Theol. Doctori Celebratissimo, Ecclesiæ Dresden-

sis ad Divum Crucis Pastori & Vicinarum Supe-

rintendenti Vigilantissimo,



Tum Jurisconsultis Excellentissimis  
**DN. GODOFREDO Beringern**  
J. U. D. Famigeratissimo,  
**DN. CHRISTIANO HEIGIO**  
J. U. D. Celeberrimo,

Dominis, Susceptori, Patronis ac Promotoribus debi-  
tâ observantiâ æternum devenerandis.

Disputationem hanc Theologicam in devoti obsequii  
& debitæ submissionis testimonium

observanter offero & dedico  
M. Polycarpus Caspar Lyserus VVittenb.





I. N. J.

ANNOTATA  
AD JEREMIAM,  
AD CAPUT XXXI.

V. 22.

QVIA CREAVIT DOMINUS NOVUM SUPER  
TERRAM.

*Rem novam facio,*

FOEMINA CIRCUMDABIT VIRUM.

*Proverbiale: viri solent ambire puellas: non puella viros. Sic populi erat Deum querere: At Deus ultro ad populum venit, ejusque amorem ambit. Ad Messiam mysticè hæc aptat Moses Hadarsan ad Gen. XLI. 21.*

**M**ira glossa, cujus sensum me penetrare non posse, fateor: Si viri ordinariè ambire solent puellas, nō puellæ viros, extraordinarium & singulare illud fuisset, populum per fœminam designatum ambire & circundare Deum, ceu virum. Ita Propheeta, juxta Grotianam ἐπίλυσι, rem inverteret hoc loco, cum id pro mero & singulari venditat, quod *Deus ambiat populum, & ad ipsum ultrò veniat.* Contrarium fortè dicere voluit Grotius, nimirum hocce indigitari, quod *populus iterum ad Deum revertatur, ejusq; amorem ambiat,* non verò, quod Deus ultrò ad populum veniat. Quæ *Judeorum* quorundam est sententia. Nam etsi de *vulgari uxore amplexante, vel reducente maritum à quo discesserat,* intelligant, idque impleri inceptum dicant in exilio juxta Esai. IV. i. explicant tamen id etiam de *populo Israelitico ad Dominum revertente, & pœnitentiam agente,* qui *divor- sium fecerat à Domino, ceu marito, & multis adulteris se prostitue-*

N

rat

*Disputatio  
Publica  
Respond.  
M. POLY-  
CARPO CA-  
SPARO LY-  
SERO, B. D.  
Wilhelmi  
Filio, Wit-  
teb. Saxo.*





ANNOTATA AD JEREMIAM

rat. Quò etiam abire videtur Jonathan ita παραφραζων :  
*Quia ecce creavit Dominus novum in terrâ, Et populus domus Isra-*  
*el incumbet legi: Ubi non verbum verbo reddidit Paraphrastes,*  
*quasi per virum legem, per complecti incumbere intellexerit, sed*  
*sensum, ut alias sæpenumerò, expressit, quem à Propheta indi-*  
*gitari credidit, nempè quod populus ad Dominum conversus*  
*legi incumbet, Dominoque adhærebit pio legis studio & obse-*  
*quio. Septuaginta Seniores & Theodotionem pariter de Ju-*  
*daicæ Synagogæ spirituali adulterio aliquandiu à Deo separa-*  
*tæ salutari ad Deum conversione, qua præter spem excitanda,*  
*Deum virum suum & salutem suam quasitura sit, oraculum*  
*hoc intellexisse è versionibus eorundem colligit Sanctius ad h. l.*  
*quum LXX. ita habeant: ὅτι ἐκτίσει κύριος σωτηρίαν εἰς κα-*  
*ταφύτευσιν, καὶ ἐν σωτηρίᾳ σὺ περιλεύσονται ἄνθρωποι. Quod*  
*tamen de vocatione gentium per Apostolos potiùs intellectum*  
*voluit Theodoretus in h. l. ita scribens: Hoc loco Propheta apertè*  
*ostendit causam revocationis, cum per eam vaticinetur futuram nõ-*  
*vam plantationem; hanc enim mundo attulerant; qui ex ea nati*  
*sunt Apostoli, quod non obscure dicit sermo Propheticus ( sc. juxta*  
*LXX. & Theodor. versionem ) undiquog, venient homines in*  
*salute; hi enim permeantes omnes gentes per Dei cognitionem illis*  
*salutem attulerunt. Cui sensui etiam favent, qui è Christianis*  
*de conversione Synagogæ Judaicæ ad Deum, à quo averfa & alie-*  
*nata fuerat, accipiunt; quæ est Pontificiorum nonnullorum,*  
*Hieron. ab Oleastr. Can. IV. Proœm. in Gen. Johan. Pineda de*  
*Salom. l. III. cap. III. Francisc. Sanchiez. ad h. l. &c. interpre-*  
*tatio. Quibus gemini ferè sunt, qui de reductione populi Israe-*  
*litici ad communionem Ecclesiæ potissimum in Novo Testamento*  
*futura intelligunt, quod Ecclesia illa averfa, ad Christum, cui e-*  
*rat olim desponsata, conversa, eundem denuò amplexura sit, ceu*  
*virum suum. Quem sensum propugnant potissimum Pareus*  
*l. II. contr. D. Hunnium 166. & Dn. D. Johan. Tarnovius in*  
*Exercit. Bibl. pag. 311. seqq. Qui de conversione quidem ad*  
*Deum, ejusque ambitu, vel complexu per fidem, sed gentilium*  
*sub Novo Testamento, ad Christum adducendorum, enarrant.*  
 Quo



Quomodo Theodoretus, LXX, Interpr. & Theodotionis versionibus insistens, divinam plantationem, & circuitionem Apostolorum in omnes gentes, salutis ipsarum causâ, intelligit. Franciscus verò Junius, cum Tremellio, fontes Ebræos sequuti feminam virum ambientem dicunt Ecclesiam Dei, quæ Israele & Judæis propriis suis liberis propter aversionem eorum orbata, tanquam vidua & sterilis Virum ambitura, & filios filiasq; aliunde sibi comparatura sit, in not. ad h.l. His si affinia dicere Grotius voluit, mentem suam aliter explicare debuit. Quicquid autem de glossâ illâ intricatâ Grotii sit, nos oraculum de Christo intelligimus, non sensu tantum mystico, sed proprio, & literalis; quod nempe femina Maria, Virgo beata circumdatura sit, & utero conclusura non infantem aut puerum, sed virum, idque sine virili operâ, quod verè est mirabile. Quia Christus infans in utero matris virginis jam erat  $\text{אֱלֹהִים}$  vir & Heros. Ridet quidem superciliosè hanc sententiam & expositionem Johannes Calvinus, quam agnoscit communem ferè esse Christianis, utpote qui uno ferè consensu hæc interpretati sint de Mariâ virgine, & hanc promittit pharetrâ sapientiæ suæ explicationem, redigent fæminæ viros in angustias, ita ut ipsos captivos teneant. Eadem Chordâ oberat Johann. Piscator Herborn: in scholiis ad hunc locum. **Dies ist die Meinüß: Ihr Jüden/die ihr seht und euch gegen die Chaldeer zu wehren gleich seht/wie blöde und unverzagte Weiber/werdet in der Widerkehr aus der Babylonischen Gefängnis so wohl gemuth und kühn seyn/das ihr die mächtigen Chaldeer auch möchtet feindlich umgeben und überwältigen.** Alibi tamen Piscator, (in commentar. nempe pag. 211.) ita  $\text{ἡ γυνή περιεσφύσει}$  h.l. *Fæmina circumdabit virum, id est, Ecclesia Christiana, etsi coram mundo instar fæminæ debilis ac infirma erit, tamen audebit potentibus suis persecutoribus resistere per confessionem, & illos fide vincet* 1. Job. V. 4.

Nostram autem  $\text{ἐκθεσις}$  hæc probant argumenta, quæ breviter in programme  $\text{ἐπιτοματικῶν}$  in solemnia γενεθλιακά Servatoris nostri, nomine Rectoris & Senatus Academici Regiomontani, Anno 1640. producta, hic repetenda, sed illustrata nonni-



hil, censemus, quia exemplaria distracta sunt. (I.) *Textus eonnexio*, per particulam *וְ* facta: quæ causam refert, ob quam Israelitæ captivitati, quam tolerabilem fecerat Regum clementia, jam adsveti, domiciliis passim per Orientem fixis, ut & deliciis atque divitiis ejus capti, excitentur, *patriam*, quam variis irruptionibus expositam viderant, *desiderare*. Non poterat autem quicquam Judæos ad hoc movere, & animare, præterquam quod necessariò & solum *in Judæâ*, vi divinarum promissionum, præstandum esset; neque urgens magis iis proponi poterat argumentum, quam sola *Messie in terrâ Israelis conceptio*. Quod enim potius de *corporali reversione*, quam *spirituali conversione* vers. 21. agatur, *statuarum Mercurialium, signorumq; iter commonstrantium, & via*, quâ itum est ex Judæâ in Assyriam, & *civitatum*, ad quas redire jubentur, & conversionis captivitatis eorum, uti Grotius ipse interpretatur, vel signorum memorabilium in Assyriâ relinquendorum, ut Brentius exponit, commemoratio persvaderet, quæ aliter, quàm *secundum literam* accipienda esse, nulla cogit necessitas. (II.) *Nova*, quum commemorat Propheta, *Creatio*: Vox *נָוָה* significatu eminentiori creationem propriè dictam sive *immediatam*, sive *mediatam* importat. Nulla autem hoc loco circumdatio alia designari potest, ad cujus efficientiam creationis propriè dictæ opus sigillatim requiratur, præter hanc, quâ Jehovah ex infinitudine suæ potentia in utero B. virginis humanam Christi naturam creavit, adeoque effecit, ut illa virum hunc circumdaret, seu conciperet. Tribuitur equidem creationis nomen etiam *conversioni*, sed *metaphorico sensu*: quam admittere nulla cogit ratio; nec *absolutè*, sed *cum addito*, ut *Psal. LI. 12. creatio cordis mundi*, vel aliâ quâdam determinatione adjectâ, quæ hic non occurrit. (III.) *Novitatis designatio*. Novum absolutè positum, pro absolutè novo accipiendum, nisi rei natura, vel textus *συνέχεται* novum tantum *secundum quid* indigitari doceant. Quod cum hic non fiat, urgemur omnino, ut *novum illud novorum omnium novissimum, quod solum est sub sole novum*, dicente Damasceno Lib. III. O.F.C.I. intelligamus. Cætera enim omnia, quæ hic afferri

pōs.



possunt, non absolutè, sed certo tantùm modo nova sunt. Ideoq; τὸ πρῶτον insistentes, illud citra controversiam magnum pietatis mysterium i. Timoth. III. 16. quod unum absolutè novum, secundum Scripturam, dici meretur, virginalem complexum & conceptionem aeterni filii Dei singulariter mirabilem, & mirabiliter singularem designari concludimus. Quod Novum unicè desiderabant fideles Veter. Testamenti Luc. II. 15. 38. cap. X. 24. (IV.) Loci determinatio. Circumdatio hæc novissima in terrâ futura promittitur, & quidem eâ, quæ montes Samron, Ephraim includit, in qua Rama sita est vers. 5. 6. 15. Quæ terminus Israelis est vers. 17. Et in quâ sunt civitates Israelis vers. 22. Nulla itaque alia circumdatio, quam sola illa femineæ conceptionis denotabitur: quum reliquæ omnes etiam alibi fiant extra terram Israelis. Hanc de terrâ conceptionis Messiaë observationem B. Bugenbaggio nostro imprimis debemus, qui in commentario suo illam tradidit fol. 342. Diximus hic non significari in terrâ, vel super terram, generaliter in mundo, quemadmodum interpretes ante nos ferè omnes intellexerunt, sed specialiter tantum, super terram, vel in terrâ, videlicet in terrâ Ephraim, id est, decem tribuum, quarum terra post Salomonem dicta fuit Regnum Israel, Regnum Joseph, Regnum Ephraim, Regnum Samariae, ut supra satis dictum est. Nam ad illas decem tribus hoc loco loquitur Jeremias, quæ jam dudum per Assyriam erant abductæ & abjectæ à terrâ suâ, dicens: Rursum ædificabis vineas in montibus Samariae. Quia erit tempus, quando custodes in montanis Ephraim clamabunt: Surgite ascendamus ad Zion, ad Dominum Deum nostrum. Sum enim Pater Israelis; & Ephraim est primogenitus meus: Item, verè audiui lamentationem Ephraim &c. Nonne Ephraim est pretiosus mihi filius, & puer desiderabilis? Revertere filia Israel, revertere ad hæc civitates tuas. Quousq; te avertes filia desertrix? DOMINUS ENIM creabit novam rem in terrâ. Fœmina circumdabit Virum: videlicet illum, qui promissus est, contritorem capitis serpentis, illud semen mulieris, illud semen Abrahæ, in quo benedicentur omnes cognationes terræ. Non ceciderunt promissiones Dei de Christo, propter



ANNOTATA AD JEREMIAM.

peccata tua, ut tu stulte metuis, sed accipies Virum promissum in terrâ tuâ, id est, in terrâ decem tribuum, priusquam veniat ipse in terram duarum tribuum, sive in terram Juda. *Promissus quidem est in Prophetis, quod ex Domo & familiâ, sive cognatione Davidis orietur Rex æternus, & in Micha Prophetâ, quod nascetur in Bethlehem, & veniet ad templum sanctum suum, Ductor in Zion sive Jerusalem; Et Tu turris Eder, inquit, quæ es arx filiarum Zion, usque ad te veniet sua Rosa aurea, prior Magistratus, Regnum filiarum Jerusalem; & quod Evangelium & regnum Christi egredietur ex Jerusalem, & dilatabitur per totum mundum, in omnes gentes, de Zion, inquit, exhibit lex, & verbum Domini de Jerusalem. Et ipse judicabit inter populos multos, & arguet gentes multas in regionibus longinquis, &c. Sed tamen, ut promittit hic Dominus per Jeremiam, in terra Israel, sive Ephraim, id est, decem tribuum, quæ erant abjectæ in Assyrios, & civitates Medorum, ille vir Deus & homo, contritor capitis serpentis, benedictio omnium gentium, concipietur in utero materno, non ex viri semine, sed ex novâ operatione & creatione Dei, quâ Deus creabit novam rem in terrâ, in terrâ Ephraim, non in terrâ Juda, neq; alibi in mundo. Revertere, inquit, ô filia Israel, revertere ad hæc civitates, quousque te avertes Filia desertrix? Accipies in terrâ tuâ, quam promisit tibi Deus salutem æternam. DOMINUS ENIM CREABIT NOVAM REM IN TERRA, videlicet tua, FOEMINA CIRCUMDABIT VIRUM. Concipietur, inquam, & gestabitur in utero matris in terrâ Israel, donec virgo mater eum pariat in Bethlehem in terra Juda, secundum Prophetiam Michæ, ducem & Rectorem totius Israelis. Unde porrò notat B. Bugenhagius de complemento Prophetiæ fol. 345. Quod Josephus, & Maria, qui fuerint quidem de domo Davidis & stirpe Regiâ, tamen propter paupertatem nihil proprium habuerint in Bethlehem civitate & patriâ David, & coacti sint habitare in alienâ terrâ, videlicet in Galiliâ, quæ pertinebat ad terram Ephraim, sive decem tribuum, ut Jeremiæ hæc Prophetia impleretur: Novam rem creabit Dominus in terrâ tuâ, o Ephraim. Foemina illic circumdabit*



bit virum, quem tamen ibi non pariet, sed in terrâ Judæ in Bethle-  
bem, ut prædixit Micha.

V. *Ambientis denominatio*, quæ  $\text{מְבִרָה}$  dicitur. Ea au-  
tem vox nusquam in sacris literis collectivè de *multitudine ali-*  
*quâ*, aut de *totò sexu fæmineo* dicitur, semper *individuum singula-*  
*re* vel *vagum*, vel *determinatum* notat *sexus fæminei*, quod loco-  
rum inductio apertissimè docet, ut mirum sit, hoc negari. Nec  
verò præcisè *fæminam mari adjunctam* ceu alterum generationis  
principium, in quo aliquid gignitur, infert; sed in genere *fæmi-*  
*nam*, quia distinguitur à mare per naturam, sive subordinetur  
mari ad generationem, sive non, designat. Neq; sane innitur  
illa subordinatio in locis iis, ubi vox illa occurrit, imo interdum  
hæc locum quidem habere potest, ut *Lev. XII. 5. 7.* Non ergò est,  
quod ambigamus, id Mariæ  $\text{θεοτόκος}$  ceu lectissimæ è sexu fæ-  
mineo Spiritus Sancti officinæ, adhæc ad conjugium jam desti-  
natæ, atque desponsatæ convenire. Imò si propriæ & scriptu-  
ris usitatæ significationi insistendum, qua individuum singulare  
sexus fæminei notat, ne quidem alia dari poterit, quæ hic inten-  
datur fæmina, præter Beatam illam virginem.

(VI.) *Circumdationis notatio.* Vox  $\text{כָּרַס}$  in genere est  
*complecti*, item *circumdare*, & *ambire*, uti R. Nathan Mardoch:  
in Concordant. per  $\text{מְבִרָה}$  ambitum illum explicat: optimeq;  
congruit *uterina circumdationi*: quâ fetus undiq; ab utero ma-  
terno ambitur, circumscribitur, & vitali novetur complexu. Quam-  
quam enim simile exemplum non occurrat in Scripturis, ubi de  
conceptione adhibeatur, commodè tamen generalis significa-  
tio ad speciem adhiberi potest; & exprimunt *Rabbini, Chaldaei,*  
*Arabes*, hac voce *causam*; ideoque *conservationi causali*, qualis  
est infantis in utero, non male convenit, quin & vocem  $\text{מְבִרָה}$   
*menstruum* Chaldæi inde deducunt, & expressit interpres *Arabs*  
eam hoc loco per *vivificabit*, quod ad officium uteri ( $\text{ωτρικήν δύ-$   
 $\text{ναμιν ἐνιήσης}$ , dicente *Basilio*, pertinet. Sunt prætereà non pau-  
ca in Scripturis  $\text{ἀπαξ λεγόμενα}$ : Denique *conceptio* hæc quo-  
que  $\text{μονότροπον}$  & singularis eatenus innitur. De *complexa-*  
*tione* verò, qua *fæmina maritum, Ecclesia Deum ambit*, non modò  
non



ANNOTATA AD JEREMIAM.

nō occurrit uspiam in scripturis, sed nec hoc loco ita intelligendam esse vocem illam, ullo certo documento patet: Imò non esse intelligendam, facile liquet: quia si *Dominus creat hoc novum*, quomodo de Judæis sponte ambientibus Dominum intelligendū id erit? & quum conversio neutiquam sit nostrarum virium, quomodo sponte sua ambire Judæi Dominum potuissent, qui potius suspirarunt: *converte nos Domine & convertemur!* Adde, quod *ταυτολογικῆ* sit illa ratio, *revertere virgo Israel per pœnitentiam: quia fœmina circumdabit virum:* id est, *quia Israelitæ ambient Dominum;* vel *aduri sunt pœnitentiam, sed conversuri ad Dominum.* Videatur *Dn. D. Müllerus* in *Judaismo* cap. XIX. p. 661.

(VII.) *Circumdanti denominatio.* Vocatur is *צבא* quod nomen Deo convenire dubium non est. *Deut. X. 17. Jer. XXXII. 28,* ubi *צבא* *ἰχθυὸς* & *Jer. XX. 11* ubi *μαχητής* vocatur, idque de Deo hoc loco intelligunt potiores Interpp. Et quidem ut *Ecclesiæ sponso, & marito*, adeoque de *Christo*, qui sponsus est *Ecclesiæ: Matth. IX. 15. Job. III. 29. 2. Corinth. XI. 2, Ephes. V. 23. &c.* Qui præterea *צבא* vocatur, ceu *proprio nomine* in *Prophetica nomenclatura* *Esa. IX. 6* ut & *Psal. XLV. 4* Imò hac ipsa voce *צבא* indigitatur *Zach. XII. 7.* Confer *Matth. XXVII. 31. Marc. XIV. 27.* Frustra es, si dicas, *Christo* in utero materno nomen *צבא* haud congruere: Nam & de infantulo recens nato adhibetur *Job. III. 2.* ut & ab *Onkelo* *Gen. IV. 1.* & ab *Esaia* recens nato *Jesulo* tribuitur *cap. IX. 6.* Adde quod nomen istud famosiori significato *Heroem* notans, peculiariter hic adhibeatur & cum delectu, de *conceptione Messie:* quod ipse in utero matris jam fuerit *Heros, divinâ potentiâ & virtute, & κατὰ μέτρον* instructus, quod de nullo infantulo in utero concluso dici potest. Ideo *Bugenhagenius* hæc verba tali illustravit *Paraphrasi: Hunc Heroa fortissimum, virum potentem, atq; adeo verum omnipotentem, utpote Deum & hominem accipietis vos Israelitæ primū in terrâ vestra, creante DEO, & faciente novam hanc rem in terra vestra, quod fœmina circumdabit virum, id est, mulier gestabit in utero, illum fortem & omnipotentem Heroa Messiam, quem à Deo promissum jam dudum expectatis.* De quo etiam monuit *Hieronymus;*






AD CAPUT XXXI.

nymus; novam rem creabit Dominus super terram. Absq; viri semine, absq; ullo coitu, atq; conceptu, fœmina circumdabit virum gremio uteri sui, qui juxta incrementa quidem ætatis per vagitus & infantium proficere videbitur sapientia & ætate, sed perfectus vir in ventre fœmineo solitis mensibus continebitur.

(IIX.) *Contextus ratio.* Qui totus occupatur in beneficiis incarnatione Christi partis, conciliatione cum Deo, & benedictionibus è fœdere Dei oriundis, quibus novum istud à Domino creandum inspergit Propheta, ut ad fontem, & fundamentum more suo revocet. Confer Jer. XXIII. 5. cap. XXXIII. 15. Prolixius textus cohærentiam exposuit Dn. D. Mullerus in *Judaismo part. 1. cap. XIX.* Quod Propheta hoc & præcedenti capite Ecclesiam soletur per *adventum Messie*, quem *Davidem* vocat cap. XXX. 9. & populum ideo ad gaudium excitet cap. XXXI. 7. 13. uti Propheta solent, cum adventum Messie annunciant *Esa. IX. v. 3. Zach. IX. 9.* & beneficia Messie adducat, salutem nostram etiam, benedictionem v. 24. lassorum recreationem v. 25. peccatorum remissionem v. 34. Quem nexum etiam indicat Hieronymus: *Respice quod dicturus sum, & unde tibi tanta beatitudo expectanda sit, diligenter attende: Audi quod nunquam ante cognoveras: Novam rem creavit Dominus &c.*

(IX.) *Ploratus Rachelis commemoratio* v. 15. qui ad infanticidium Herodis recens nati Christi tempore refertur *Matt. II. 18.* Ea proinde circumdatio intelligitur, quæ cum clade Bethlehemiticâ connexa.

(X.) *Nazareth: tripudium & mutua invitatio* v. 6. ubi si  ut proprium patronymicum accipiatur, reliquæ Israel in Nazareth lætati innuuntur, seque invitare ad celebrandum Dominum propter Jesum Nazarenum conterraneum suum *Matt. II. 23.* cui egregiè respondet promissio novi hujus in terrâ Israelis creandi, *conceptionis nempe Messie*, ad quam divinitus delecta fuit *Nazareth* *Luc. I. 26.* videntur.

(XI.) *Loci conceptionis Prophetica definitio.* Nam cum tam accuratè Spiritus Dei locum nativitatis Messie *Mich. V. 2.* & educationis *Matt. II. 23.* & ministerii, ac predicationis *Hagg. II. 8.*



ANNOTATA AD JEREMIAM.

*Mal. III. 1. & Passionis Zach. XII. 11.* notarit: neque verifimile sit locum conceptionis haud definivisse, ac prænunciasse, diligenter inquisiverunt Ecclesiastici Scriptores, & tandem deprehenderunt hunc locum, ut observat *Dn. Chemnitius* harm. Evang. cap. IV. Col. 37. & è *B. Pomeranis* *πιά ἁγυνησες* constitit.

(XII.) *Interpretum meliorum confessio*, qui plerique hanc de foemineâ Christi complexione, & conceptione approbant. *ἁγυνησες*. E Christianis eandem propugnant tum antiquiores *Doctores Justinus* in Dial. cum Triphon. *Cyprianus* Serm. de Nat. Christi. *Augustinus* Serm. IX. de tempore de Nativitate Domini. *Hieronymus* comment. in h. l. tom. IV. *Rabanus* item, *Strabus* in glossâ ordin. nec non *Bernhardus* hom. II. super missus est, & alii; Tum recentiores è *Pontificiis*, *Lyranus*, *Galatinus*, aliique. E *Calvinianis* *Oecolampadius*, *Zwinglius*, *Pelicanus*, *Bullingerus* &c. in comment. in h. l. E nostris plerique omnes, etiam *B. Lutherus*. Quamvis priori versione suâ inclinârit in eam sententiam, quæ *Calvino* probata est, sic locum reddendo, ( ut *Biblia* Anno 32. *Witebergæ* edita testantur ) **Wie lang wiltu dich wegfehren du Tochter / die ich wiedera bringen will? daß der HErr wieder ein neues im Land erschaffen / daß die sich vorhin wie Weiber gestellet haben / sollen Männer seyn;** Postea ramentamen loco examinato & animadversis textus Prophetici circumstantiis priorem versionem in accuratâ translationis recognitione expunxit, & eam, quam hodie habent exemplaria substituit: **Wie lang wiltu in der irre gehen / du abtrünnige Tochter? Denn der HErr wird ein neues im Land erschaffen / das Weib wird dem Mann umbgeben.** Sententiam in glossâ marginali, adversus *Judæos* confirmavit partim à *circumdationis hujus novitate*, partim à *contextus serie*, qui totus agat de novo Testamento: jubeatque propter hoc novum, quod *Dominus creaturus erat in terrâ, quo fœmina* (virgo incorrupta) *nova miraq; mater est, adeoq; propter Messiam virginis filium Mosen sepelire, seq; in viam Domini convertere.* Quia hâc matre virgine concipiente *Moses*



ses sepeliri & Israel ad Christum converti debuit. *Luc. I. 16. 17. 76.*  
 Novumque Testamentum initium sumit. Etsi autem alium  
 etiam sensum ibi tradat Megalander, *significationem* nempe vel  
*figuram Apostoli Rom. VII. 6. quod nos à lege prius conclusi, nunc le-*  
*gem veluti complectamur, quæ jam non supra, sed infra nos;* eum  
 tamen solum tanquam *accommodationem aliquam allegoricam*  
 insinuat: *Priorem vero ceu propriam & liberalem* suscipit, ac  
 probat. Quem etiam libro de Schemhamphorasch Tom. IIX.  
 Jen. Germ. fol. 133. Anno 1543. è Consensu Christiani orbis, &  
 verborum *ἐπιφάνει* confirmavit. Das hat man in der ganz  
 hen Christenheit gelesen/und verstanden von Christo/vnd der  
 Jungfrauen Maria/seiner Mutter / wie recht und billich  
 ist. Es soll ein neues seyn/spricht er / das nicht gewest ist  
 zuvor auf Erden/ Es sind von Anfang Kinder geboren/ Kes  
 giment gewest/ böse und gute Leute gelebet/ sich gebessert /  
 und verbösert/wie es noch jetzt gehet / und bis an der Welt  
 Ende gehen wird. Aber hier soll das neue Wunder gesches  
 hen / das vor nie geschehen ist / nemlich eine *Μετῆσα* / ein  
 Weib/ die nicht ein Mann ist/ soll einen Mann umgeben /  
 das ist: Maria soll Gottes Sohn empfangen/und geberem.  
 Denn das muß seyn/ so unser Glaube recht seyn soll / das  
 Christus unser Herr in dem Augenblick / da Maria dem  
 Engel Gabriel ihr *Ἐπιφάνει* gab/ und sprach/ *Μίρι* gesches  
 he nach deinem Wort / ist zugleich *Ἐπιφάνει* und vollkommener  
 Mensch gewest/ in einer Person/ wie das die lieben Vä  
 ter in Concilio zu Epheso, wider dem Nestorium, erhalten  
 haben. Denn wo das nicht seyn solt / so wäre sie nicht  
 Theotocos, Gottes Mutter zu nennen / noch Christus ihr  
 Sohn zu nennen. Addimus hinc testimonium Judæorum  
 antiquiorum. *R. Moses Hadarschan* in Genes. XLl. ita habet: &  
*consolatus est eum in virgine, sicut dictum est Jer. XXXI. 21. &c.*  
 Revertere virgo Israel, revertere ad civitates tuas istas, usq; quo  
 insanies filia apostatrix: Creavit enim Deus novitatem in terrâ,  
 femina



ANNOTATA AD JEREMIAM

foemina circumdabit virum. *R. Huna in nomine R. Idi & R. Josua ben Levi dixerunt quod iste est Rex Messias, de quo dictum est Psal. II. 7. Ego hodie genui te. Habemus ergo consensum R. Idi, Rabi Josua ben Levi, R. Huna, & R. Mosis Hadarschan, quibus etiam R. Hakkadosch accedit in Gali Razia. Videatur Pugio fidei Raimund. Martin. part. III. Distinct. III. cap. XIX. Petrus Galatin. lib. VII. de arcan. Cathol. Veritatis cap. XIV. col. 414. Recentioribus Judæis, quorum sensum videtur exprimere voluisse Grotius, os oppilavit B. Lutherus loco citato. Will auch wohl ihre Kunst im Spruch Jeremia XXXI. noch anzeigen / da sie sagen / Ein Weib wird einen Mann umbgeben / solle heissen so viel / das Volck Israel ist das Weib / & Gott der Mann: Nun ist Israel eine Hure gewesen / in der Abgötterey / darnach hat sie sich bekehret und bereuet / damit dem Mann / das ist / Gott wieder umbgeben und versühnet. Wenn nun gleich die Wort das köndten geben / als nicht seyn kan / wie kan solches ein neues auf Erden geschaffen heissen? Ist das Volck Israel niemals eine solche Hure gewesen / und wieder bekehret worden? Da frage das Buch der Richter umb. Hie wils doch dahin kommen / das / was ein Kabin new heisset / das ist new / was er alt heisset / das ist alt / wie droben die Regul giebt / von der lincken und rechten Hand. Adjecit etiam aliam glossam Judæorum valdè ineptam, quam, ut ductorum Grotii cœcitatem agnoscere liceat, subjungimus. Über das ist noch viel höher seiner Kunst / an diesem Ort / sprechen sie / das Weib sey die Hure Israel zu verstehen / wenn sie aber Hochzeit haben / führen sie die Braut / drey mal umb den Bräutigam / auf daß sie diesen Spruch Jeremiae gnug thun / Ein Weib umbgiebt den Mann / Hie mus Nefesa / das Weib eine Jungfrau heissen / dort eine Hure. Warumb? Darumb daß die Rabinen nicht feilen können / wenn sie sagen / eine Hure ist eine Jungfrau / und eine Jungfrau eine Hure / nach der Regul: Daß die lincke Hand recht ist / wenn sie ein*

Kabi



Kabi recht heisset. Und muß auch vor die solche neue Ding  
 geschehen seyn/ wenn ein Weib oder Braut umb den Mann  
 Drey mal geführet wird/ denn Jeremias spricht: Es sol ein  
 neues seyn auf Erden von Herren geschaffen; Aber hier hat  
 ein Kabin der Sachen bald geholffen/ und gesagt/ was er  
 neu heisse/ das ist neu/ was er aber alt heisse/ das ist alt / etc.  
 Summa die verzweiffelten Teuffels Lügenmäuler  
 meinen nicht anders/ denn die heilige Schrift sey ihr Eigen  
 wie ein Papier/ daraus sie Männlein/ Vögelein/ Häus-  
 lein/ Kassenstülein/ schnitzen möchten/ wie sie wollen / und  
 was sie sagen/ das sollen beyde ihre Jüden/ und wir Chris-  
 ten zu recht annehmen. Hos ergò tam præclaros Doctores  
 & ductores sequi placuit Grotio. Neque est, quod has duas di-  
 versas sententias conjungi posse, quis existimet. Quod com-  
 mentū in Pareo, etsi idem etiam ad Oecolampadii, Zwinglii, Peli-  
 cani & Bullingeri consenium provocet, ita refutavit B. Hunnius  
 Anti Pareo pag. 229. *Ego verò mi Pareo, me & spectatorem præbe-  
 bo sedulum & auditorem attentum, quibus artibus sub unam inter-  
 pretationem cogere, seu ut tu loqueris conjungere velis, sententiam  
 tuam, quam Calvinus Judæis adscribit: Et Christianorum, qui di-  
 ctum Jeremia de conceptione virginis interpretantur. De ijs, qui  
 copiam orationis affectant, cum ne semel quidem rem possint aptè  
 explicare, scribit alicubi Erasmus Roterodamus, ineptos illos Syno-  
 nyma quedam congerere adeo inter se dissidentia, ut ipsi mirentur,  
 quo pacto convenirent. Idem affirmare liceat de Pareo sen-  
 tentias connectente prorsus inconnexiles, atq; adeo inter se dissi-  
 dentes, ut mirentur ipse, cujus artificis operâ in unum convenerint. Si  
 conjungenda sunt dua ista sententia, tum aut sub analogia typi, &  
 antitypi erunt conjungenda aut connectenda, simpliciter. Neutro  
 modo patiuntur se copulari. Priori modo si tentes, hæc prodibit  
 absurda Paraphrasis: Quemadmodum Ecclesia Judaica, quæ  
 tanquam desertrix, & adultera Dominum deseruerat, novo quasi  
 miraculo eundem amplexabitur, & verâ resipiscentiâ constanter  
 ei adhærebit: Sic aliquando fœmina virgo in virginali utero*



ANNOTATA AD JEREMIAM

concipiet Messiam Dominum. Pulchrè, lepidè, lautè, nihil supra. *Si cui hæc compositio minus arridet, & tentetur altera, quid eâ dici poterit inconvenientius? Ad hunc enim scopulum prodigiosissima absurditatis conciliator allidat, necesse est, ut vox FOEMINÆ simul & semel adulteram illam Dei desertricem, Ecclesiam Judaicam sensu uno, & deinde sanctissimam Dei genetricem significet sensu altero: tum verbum circumdare simul notet conversionem sensu Parei, & deinde filii Dei conceptionem ex virgine, sensu nostro: Viri vox simul & semel & Deum simpliciter, hoc est, totam Trinitatem, & deinde (in alterâ sententiâ) non totam Trinitatem, sed solum filium designet. Quæ ratio interpretandi Scripturas sitne vel audit a saltem in Ecclesiâ, (non dicam recepta aut frequentata:) liberrimum esto iudicium, non modò penes amicos, sed etiam inimicos.*

Hæc *Beatus Hunnius, Senior*, quæ integra adscribere visum fuit, ut quam absurdè ab illis, qui *geminum sensum* dictis Scripturæ affricare solent, in connectiles sententiæ connectantur, hoc etiam exemplo, & Theologi istius τὸ μακροῦ ἀντεcessoris nostri iudicio innotescat

Neque credo *Calvini* sententiam facile exosculaturum quemquam, qui quomodo eandem delumbarit *B. Hunnius*, viderit. *Utitur*, inquit *Calvinus*, *singulari numero Prophetæ*, quasi dicat: *foemina una præstabit multis viris, hoc est, singuli Judæi præstabunt singulis Chaldæis, ita Judæi superiores erunt, quamvis magnum & terribile sit robur hostium. Sic enim transformare necessum habuit Calvinus primum singulare in plurale, ut pro foemina substituerit foemina, viros in angustias redigent. Deinde nomen alterum virietiam in plurale convertere. Tertio foemina vocem rursus de unâ accipere. Quia dicit: hunc esse sensum foemina una præstabit multis viris. Porro hæc ita torquere, quod per foeminas, Judæi, per viros Chaldæi intelligendi; & deinceps hæc ita connectenda sunt: Quod Judæi, qui respectu Chaldæorum pro foeminis haberi queant, ad angustias redacturi sint Chaldæos: unde non immerito quæsit *Hunnius* noster, quis *Calvino* hanc licentiam dederit per *Metamorphoses*, quæ pene*

Ovi-



AD CAPUT XXXI.

Ovidianas illas superet, quidvis fingendi ex quolibet, & feminam in feminas, feminas in Judæos transformandi, ex viro viros, nempe Chaldaeos. Et anne hoc novum sit in terrâ, annon sepe Judæi parvâ manu innumerabiles copias potentissimorum hostium profligarint. Deniq; qui annales historiarum testentur, quod Judæi captivi vel in ipsâ victoriâ Persarum contra Babyonios vel post devictos jam à Cyro Chaldaeos sese illis armata manu opposuerint, aut vires suas cum Persis ac Medis in debellandis Babylonis conjunxerint saltem, tantum abest, ut hosce ipsi peculiari conflictu superarint, & in suam captivitatem redegerint. Sed hæc de Iglossemate etiam Calvinii Ludovici Alcasaris Papistæ nova expositio digna non est, quæ adducatur, nedum quæ sub examen revocetur: Quia ridicula est. Censet nempe Eucharistiæ mysterium significari, quæ corpus Christi continet. Quæ quomodo vel verbis, vel contextui quadret, nemo nisi Jesuitico acumine excellens, perspiciet.

Verf. 23.

BENEDICAT TIBI DOMINUS PULCHRITUDO  
JUSTITIÆ.

*Habitaculum justitiæ: id est, religionis sedes, Hierosolyma.*

MONS SANCTITATIS.

*Templum.*

Verf. 24.

ET MINANTES GREGEM.

*In Hebræo: & qui eunt cum grege, id est, pastores.*

INEBRIAVI ANIMAM LASSAM.

*Vide supra 14. vertenda autem hac per futurum.*

Non restringenda hæc benedictio ad solos Judæos, nedum ad temporalem Hierosolyma, & templi readificationem ac sacrificiorum pinguedinem, quibus exatiandi Sacerdotes. Benedictio porrigit sese ad totam Ecclesiam & sensu spiritali imprimis intelligenda est. Tum de domo Israel pariter, ac de domo Iuda agitur verf. 26. & seqq. Etsi ergo Judæa peculiariter erigatur quia ibi sedes



ANNOTATA AD JEREMIAM.

sedes erat Ecclesie, ipsique in captivitatem abducendi solamine indigebant, adhuc dicitur hoc verbum in terrâ Judæ & civitatibus ejus, cum verteretur captivitas eorum: benedictio tamen terræ Judæ, & civitatibus ejus facta non intrâ pomeria Judææ terminatur, sed ita explicanda est, ut toti Ecclesie convenire queat; Nō autem ad materiale templū, aut ceremonialia Hierosolymæ propria, determinanda. Siquidem vaticinetur, ut in fine capitis habeatur, quomodo templum sanctū, & civitas sancta, in quatuor mundi partes dilatari debeat, & ita sanctificari Domino, ut non violetur, aut vastetur in æternum: & quum antea Hierosolyma dicta sit sancta, & templum & cultus Dei, non item aliæ civitates in Judâ, jam prædicit Jeremias, quod tota terra Judæ & civitates ejus vocari debeant habitatio justitiæ, & mons sanctus, non tantum Jerusalem, non solum templum, uti pervertit Grotius de Hierosolymis & templo hæc accipiens. Quapropter de regno Christi hæc rectè explicat Bugenhagius pag. 351. Antea quidem dicebatur Jerusalem civitas sancta propter templum & cultum Dei, sed non aliæ civitates in Juda, hic autem prædicitur, quod tota terra Judæ, & civitates ejus vocabuntur & prædicabuntur: *Habitatio justitiæ, & Mons sanctus.* Quæ est illa terra Juda cum civitatibus suis, nisi regnum Juda, quod Davidi promissum est in Christo æternum? Ad quod regnum pertinent Judæi, Israelitæ, Samaritæ & gentes per totum mundum, quemadmodum prædictum est Esa. XLIX. Ibi dicitur sive prædicabitur læta prædicatio, & bona imprecatio Evangelii contra tristem & horrendam prædicationem & damnationem legis, videlicet hæc: DOMINUS benedicat tibi; Olim quidem etiam est prædicatum illi populo, Dominus benedicat tibi, sed illa benedictio Domini nunquam jussa est prædicari sine Christo, quia promissa erat eis benedictio Dei in solo Christo contra maledictionem legis, quâ damnati sunt omnes homines, nec eis solum erat promissa, sed etiam omnibus gentibus Rom. III. An Judæorum tantum Deus est & non etiam gentium: Sic enim promisit Deus Abrahæ: In semine tuo benedicentur cunctæ cognationes terræ. Hunc Christum, benedictionem omnium populorum terræ, quem Virum fœmina circumdedit, dicit hic Jeremias exhi-



AD CAPUT XXXI.

exhibendum in terrâ Iuda per benedictiones, id est, Evangelii prædicationem & mirabilia facta, ut veniat, & dilaret regnum suum ad totam terram Judeorum, & ad Samaritanos & ad omnes gentes per totum mundum Act. I. Eritis mihi testes, id est, prædicatores Evangelii de me non solum Hierosolymis, verum etiam in universâ Judæâ & Samariâ, deniq; usq; ad extrema terre. Sic enim Act. III. Apostoli exponunt Judæis, & declarant jam exhibitam promissionem Abrahæ factam, in semine tuo benedicentur cunctæ cognationes terræ, Vobis, inquiunt, primum Deus, cum suscitasset filium suum Jesum, misit eum benedicientem vobis, ut unusquisque vestrum convertat se ab iniquitatibus suis. Igitur Dominus benedicat tibi, audietur in terrâ Juda, & in civitatibus ejus, postquam foemina circumdederit Virum, id est, Dominus Deus ipse aderit ibi dexter, foelix & benedictiones in illo Viro omnipotente, contritor capitis serpentis, & benedictio omnium cognationum terre, ibi tum audies & videbis, quæ jamdudum tibi promissa sunt in Messîâ. Beati oculi qui vident, quæ vos videtis, & beatæ aures quæ audiunt, quæ vos auditis. Multi Reges & Prophetæ & justî voluerunt audire quæ vos auditis, & videtis, & non audierunt, neque viderunt. Hic auditur, & videtur Christus benedictio omnium familiarum terræ, contra maledictionem legis, & damnationem omnium hominum. Benedicentur per Christum, id est, prædicabitur eis Evangelium Christi, & credentes liberabuntur per Christum à suâ maledictione, peccato ac morte, & fient filii Dei, donati justitiâ, bonâ conscientia, gaudio in Spiritu Sancto, fructibus justitiæ & vitæ æternæ. Hæc est prima, summa, propria & æterna benedictio in Christo, de quâ Ephes. I. sic dicitur. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo, quemadmodum elegit nos in Christo, ante constitutionem mundi &c. Deinde nobis credentibus, benedictis per Christum æternâ benedictione etiam promisit temporalem benedictionem, panem quotidianum, id est, victum in hâc mortali vitâ dicens: Primum quærite regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur. Et in Paulo: Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ æternæ præsentis & fu-



ANNOTATA AD JEREMIAM.

& futura. Quod exponit Paulus 1. Corinth. X. Quod omnia sunt nostra, quæ sunt Domini, qui per fidem sumus unum cum Domino Christo; Christus dicit esse illum Dominum, cujus est terra & plenitudo ejus. Est enim Filius Dei, Heres omnium bonorum Patris. Quod porro ita exequutus est B. Bugenhagius pag. 354. Quia vero regnum cælorum sive Ecclesia sancta, & justa Christi cœpit in die Pentecostes in Regno Juda, quod erat Davidis, id est, in Zion & Jerusalem, vocatur ipsum in Prophetis Zion & Jerusalem, & Regnum Juda æternum, & Zion & Jerusalem facta est spiritualis & cœlestis, postquam illa terrena periit, ita, ut non manserit ibi lapis super lapidem, Paulo Jerusalem, quæ sursum est, mater nostra est; ut videant Judæi, quo respiciant promissiones Dei, videlicet quod promissum illud æternum regnum Davidis, non potest esse regnum terrenum, sed erit regnum cælorum, ut Prophetæ prædixerunt, qui omnes (ut ait Petrus) Christo testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus, quotquot credunt in eum, id est, omnes, sive Judæi, sive gentes in Regno Christi, habent remissionem peccatorum, sive sunt justificati per solum Christum. Psal. II. dicit Deus: Ego autem constitui Regem meum super Zion montem sanctum meum, Prædicabo statutum &c. Esa. LX. sunt multa promissiones & fortes consolationes Dei, ipsi Ecclesia Christi promissæ, in quibus & hoc dicitur ad Ecclesiam sive regnum Christi, in populo tuo omnes erunt justî, & in æternum possidebunt terram, ut qui surculus sunt plantationis meæ, & opus manuum mearum ad glorificandum. Ex minimo erunt mille, & ex exiguo populo potens. Ibi Deus vocat regnum Christi Jerusalem, civitatem Domini, Zionem sancti Israelis, certè montem sanctum, habitationem justitiæ, ut hic Jeremias, quod omnes, qui in eo regno fuerint, erunt sancti & justî, imputatione Dei per remissionem peccatorum in Christo. Regnum Christi dicitur in terris Mons sanctus, & habitatio justitiæ propter cives & inhabitantes, qui omnes sunt sancti & justî. Non fuit Jerusalem sancta propter Hannam & Caipham, qui nunquam fuerunt Ecclesia Dei, ut nec olim impij Reges, Principes, Sacerdotes & Prophetæ: Sed ut olim ab Adam soli credentes fuerunt populus Dei, ita nunc soli credentes sunt populus



AD CAPUT XXXI.

populus Dei & Regnum Dei. Non enim venit Christus ut civitates Juda & Israel, domos & agros, vel aurum & argentum & potentiam Gentium occuparet, ut somniant sibi stulti Judæi, sine verbo Dei, sed ut homines possideret, quemadmodum ipse dicit: Venit filius hominis quærere & salvum facere, quod perierat. Quingenta millia virorum (in quo numero non sunt mulieres & parvuli) primum suscepit Christus in Jerusalem, sacra regni sui initia, ut legitur Act. IV. & deinde quotidie augebatur numerus & multitudo credentium. Hi facti sunt primum Ecclesia Christi, populus Dei & regnum cælorum, interim Hannas, Caiphas, Johannes, Alexander, & alii pontifices & Sacerdotes, adversarii Christi, servabantur in terrena illa Jerusalem perditioni, ut palea igni, & frustra jactabant blasphemantes; Nos sumus capita Ecclesiæ & populi Israel. Nos debetis audire, & non illum Galilæum crucifixum. Hæc multitudo populi Sanctorum dispersa est post lapidationem Stephani ad reliquos Judæos & Samaritas & ad gentes quoque, ut vides in actis Apostolorum, ubi predicaverunt Evangelium Christi, & dilatata est Jerusalem in totum orbem terrarum, Mons sanctus & habitatio justitiæ. Id quod prædixerat Zacharias cap. II. Jerusalem absque muro habitabitur, præ maximâ multitudine hominum, id est, Judæorum, & pecorum, id est gentilium, quæ erunt in eâ, Ecce Ego, dicit Dominus, ero Murus igneus in circuitu ejus, & ero in eâ &c. ostendam me in medio ejus cum gloriâ Psal. LXXXVII. Fundata est ipsa super montes sanctos. Dominus amat portas Zion magis quàm omnia tabernacula Jacob. Gloriosa prædicantur in te, Civitas Dei, Prædicari faciam Rahab, id est, Ægyptiis & Babyloniiis, ut cognoscant me, ecce Philistæi & Tyrii cum Æthiopibus nascuntur ibi, in Zion dicetur, quod quisque nascitur in eâ, & quod ipse altissimus ædificat eam &c. Et Esa. LX. Surge, illuminare, quia venit lux tua &c. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & Gentes in splendore, qui oritur super te, leva oculos tuos, & respice circumquaque, isti omnes congregati veniunt ad te &c: Omnes greges Kedar congregabuntur ad te, arietes Nabajoth servient tibi, offerentur su.





ANNOTATA AD JEREMIAM

per bene complacens altare meum (*quod est Christus Heb. XIII.*)  
 Domum enim gloriæ meæ decorabo, qui sunt isti &c. Portæ  
 tuæ erunt apertæ jugiter, neque interdiu, neque nocte clauden-  
 tur. Ut potentia gentium adducatur tibi, & deducantur ad te  
 Reges earum. Quia quæ gentes aut regna noluerint servire ti-  
 bi, peribunt, & gentes illæ penitus desolabuntur &c. Et faciam  
 ut Præpositi tui doceant pacem, & Præsides tui justitiam. Non  
 audietur ultra in terrâ tuâ injuria, neque damnum aut perditio  
 in terminis tuis, sed muri tui vocabuntur salus, & portæ tuæ  
 laus, Sol non lucebit tibi amplius per Diem, & splendor lunæ  
 non lucebit tibi (*auditis Judæi, non terrenum Regnum fore Jeru-  
 salem terrestrem*) Sed Dominus erit lux tibi æterna, & Deus tu-  
 us erit Gloria tua. Non occidet ultra sol tuus, nec amittet lu-  
 men luna tua, Dominus enim erit tibi lux æterna, & dies luctus  
 tui finem habebunt &c. Et *Esa. XLIX.* Parum est, ut sis mihi ser-  
 vus &c. In tempore accepto ex audivi te &c. At Zion dicit: Do-  
 minus dereliquit me, Dominus est oblitus mei &c. Leva ocu-  
 los circumquaque &c. Habes *montem sanctum, habitationem  
 justitiæ, Regnum Davidis æternum, de quo acclamarunt Christo in  
 die Palmarum; Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex  
 Israel, Benedictum quod venit Regnum patris nostri David, in  
 quo regno predicatur benedictio omnium populorum terræ, id est,  
 Christus, de quo promisit Deus Abraham, in femine tuo benedicen-  
 tur cunctæ cognationes terræ, benedicat, inquit, tibi Dominus,  
 tu habitatio justitiæ, tu mons sancte. Et Juda cum omnibus suis  
 civitatibus, id est, totum regnum Iuda Davidi promissum, ex Iu-  
 dæis & gentibus congregatum ad unum Regem, & Pastorem  
 Davidem, id est, Christum Filium Davidis congregatum, cum o-  
 mnibus civitatibus, id est, Ecclesiis, habitabit ibi in Ierusalem, in  
 monte sancto, & in habitatione justitiæ, ut & in Psalmo, Domi-  
 ne, quis habitabit in Tabernaculo tuo, aut quis requiescet, in  
 monte sancto tuo: Et non respondet: Qui circumcisus est Iudæ-  
 us, & sic sacrificat. Sed, Qui ingreditur sine maculâ, & operatur  
 justitiam &c. Et additur, Et agricolæ, & qui mutant loca cum  
 grege suo, id est, pastores, habitabunt etiam ibi in Ierusalem, in  
 monte*



AD CAPUT XXXI.

monte sancto, & in habitatione justitiæ. *Dic Judææ, Permittesne agricolis ac Pastoribus & ovibus ac jumentis, ut habitent in monte sancto, in Templo Domini: Quæ commoditas erit illis in Jerusalem: Quomodo habitabit Juda cum omnibus civitatibus suis in monte sancto & in habitatione justitiæ. Ergo Agricolas & Pastores Gregis dicit predicatores Evangelii, & Doctores Ecclesiarum, de quibus promisit Deus etiam supra cap. XXII. Ecce, Ego congregabo reliquias gregis mei ex omnibus terris, quo ejeceram eas, & reducam eas ad causas suas, ut crescant & multiplicentur. Et suscitabo super eas Pastores, qui pascant eas, ita ut non metuant ultra, aut terreantur aut visitentur, dicit Dominus. Agricolas enim Paulus vocat Prædicatores 1. Corinth. III. Dedit quidem Deus Judæis post captivitatem Babylonicam fertilitatem agrorum & abundantiam ovium & pecorum. Quia curat suis filiis etiam cibum corporalem. Sed hic promittit totum Judam cum omnibus civitatibus suis, cum agricolis & pastoribus habitaturos in habitatione justitiæ, id est, in eo regno, ubi omnes sunt justi in æternum, ut dixit Esaias, id est, in Regno Davidis Christi. EGO ENIM REFICIAM. Hæc est causa, quare homines libenter accedant ad Regnum Christi, ut fiant mons sanctus & habitatio justitiæ. Ergo ait Deus, adero in illo Viro contritore capitis serpentis, quem femina circumdedit in Israel, & peperit in Bethlehem Juda; Erit enim Deus & homo; Et reficiam in Christo animas lassas, id est poenitentes, & animas sollicitas, videlicet de victu, id est, inopes & esurientes peccatores. Ego saturabo in Regno Iuda Davidis, id est, in Ecclesiâ Christi, quæ in Iuda incepit: Audi virum contritorem capitis serpentis, hoc ipsum dicentem: Pauperes evangelizabantur; Qui invitati erant, non fuerunt digni; Ite ergo ad exitus viarum, & quoscunque inveneritis, debiles, cæcos, claudos, introducite huc; Non est opus medico bene valentibus sed male habentibus. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, & invenietis requiem animabus vestris. Audiant & videant hæc contemptores Iudæi, quorum sit regnum cælorum, sive Messie, certè non eorum, qui expectant Messiam, per quem fiant in hoc mundo divites, potentes, gloriosi, sed eorum qui cupiunt*





ANNOTATA AD JEREMIAM

cupiunt sanari & liberari à peccatis & morte secundum Evangelium; Semen mulieris conteret caput serpentis. In semine tuo, ô Abraham, benedicentur cunctæ cognationes terræ: Hæc venerandi Antecessoris, fidelis parastatæ Megalandri Lutheci verbis, quàm meis ita plenè proponere malui, quod non tantum ad hoc vaticinium explicandum faciant, sed aliis similibus etiam facem accendant. Consonat eximie *Osiandrina* Paraphrasis. *Quam bene autem habituri sint in Filium Dei incarnatum credentes, Prophetæ sequentibus verbis indicat: Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Adhuc dicent verbum istud in terrâ Iuda, & in urbibus ejus cum convertero captivitatem eorum: Sic gratulabuntur Israelitæ, hoc est, Christiani, Ecclesiæ nascenti: benedicat tibi Dominus pulchritudo: Hebraicè, ô habitatio justitiæ, ô mons sanctus, in quo est templum Dei viventis (id est, Dominus det tibi, ô Ecclesiæ Christi incrementum, ut augearis, & crescas numero hominum, & donis Spiritus Sancti. Tu enim es instar civitatis sanctissimæ, in quâ vigent pietas & justitia: in te habitat Dominus Deus presens, in primis verò bonis & donis suis) (Et si enim Ecclesiæ in his terris habet suos nevos: tamen justa est coram Deo imputatione justitiæ Christi. Et regeneratur atq; sanctificatur Spiritu Sancto) & habitabunt in eo Iudas, populus regni Iuda, & omnes civitates ejus simul: Quin etiam agricolæ & pastores, minantes greges, i. e. Ecclesiæ Christi poterit capere omnes, quotquot sese ei adungere volent: erit q; instar amplissimæ civitatis, quæ multas in se civitates & villas possit complecti. (Hæc est Ecclesiæ Christi Catholica, in quâ multæ sunt non modò urbes, sed etiam multi Principatus, imo multa regna, & quidem in eâ universali Ecclesiâ sunt etiam multi spirituales agricolæ & pastores Ecclesiarum, quibus curæ est agricultura Dei, 1. Corint. III. Et quorum fidei oves pascende sunt commissæ sub uno supremo pastore Christo 1. Petr. V.) Tunc beati erunt cives istius Ecclesiæ (inquit Christus) Quia inebriavi: rectius: inebriabo (largè reficiam) animam lassam, & omnem animam esurientem: rectius dolentem, saturavi: Rectius saturabo. Hactenus Osiander.*

Verf. 26.





IDEO QVASI DE SOMNO SUSCITATUS  
SUM, ET VIDI, ET SOMNUS MEUS  
DULCIS MIHI.

*Loquitur Propheta: Ubi ab hoc viso, surrexi, vidi: Id est; cum voluptate contemplatus sum, quæ mihi erant revelata. Et somnus meus mihi dulcis fuit: Id est, suaviter dormivi postea, quod antea præ dolore facere non solebam.*

Sequitur Iudæos, sed illis agnoscere Prophetiam de Christo à Prophetâ traditam observat Maldonatus. Jonathas, R. David & R. Salomo dicunt, esse Prophetæ dicentis, se, postquam in somniis hanc de futuro Christo prophetiam accepisset, expergefatum, magnâque perfusum voluptate. Alii ad populum; nonnulli ad Deum referunt, quod continua quædam ejusdem oratio esse videatur. Pia est, nec injucunda B. Bugenhagii nostri *ἐκ θεοῦ*, qui hæc verba vult esse Filii Dei. Ejus enim propria sunt, quæ intercedunt. *Ego reficiam animas lassas, & sollicitas animas saturabo*, uti ex Esa, L. 4. LV. 2. Matth. XI. 28. novimus: Et eâ fine, tum mortuus est, tum resuscitatus Christus. *Inebriavi (vel reficiam) animam lassam, & omnem animam esurientem saturavi. Idcirco quasi de somno suscitatus sum, & vidi, & somnus meus dulcis mihi.* Sed juvat iterum B. Pomeranum audire. **ICCIRCO EVIGILAVI.** *Ego quandoq; in scholâ istâ tractans, judicavi exponendum hoc verbum evigilandi, ex eo quod sequitur, & sicut vigilavi &c. Sed nunc video non esse simile. Nam ibi vigilare, est studio quid agere, & toto conatu ad aliquid incumbere. Hic autem evigilare, quid aliud esse potest, quàm è somno excitari? id quod addit: Postquam suaviter dormieram. Certum est hic Deum ipsum loqui, sicut & in precedentibus verbis. Ego enim reficiam &c. Non moror ergo depravatores Scripturæ, verba sunt satis aperta. Sic loquitur hic Dominus Deus. Idcirco vel propterea, videlicet, ut possim reficere animas lassas, & animas sollicitas saturare, evigilavi. Ego Deus, & suspexi, ubi suaviter dormieram in terrâ Iudæa, id est, Ego Deus in viro illo promisso, quem*



ANNOTATA AD JEREMIAM.

quem foemina circumdedit suaviter dormivi, *id est*, mortuus fui, & foelix Sabbathum sanctificavi in sepulchro, evigilavi, *id est*, revixi & resurrexi post suavem somnum, & suspexi, *id est*, attendi ad miscrias hominum, ad animas lassas, ut auxiliarer eis, quemadmodum infra sequitur; Ita vigilabo super eos, ut aedificem & plantem &c. Resurgens enim à morte in terrâ Iuda, consedi in dexterâ Patris & misi Spiritum Sanctum in Ierusalem primum, deinde in totum mundum, ut reficiam animas lassas & saturem animas sollicitas, pro quibus mortuus fui, & resurrexi, ita suspexi & attendi, ut in dexterâ patris regnans, & potestatem habens in cælo & in terrâ, vobiscum sim Emanuel omnibus diebus usq; ad consummationem seculi, Matth. ult. Vides quod hic Deus de morte Christi & resurrectione in terrâ Iuda dicit, & de regno Christi per Evangelium & Spiritum Sanctum, Ite, inquit, in mundum universum &c. Ibi Deus ipse in viro illo omnipotente Christo suaviter dormivit, evigilavit & suspexit, & adhuc in æternum suspicit, videt & attendit, apud nos, & in nobis agens per suum Spiritum sanctum, & Evangelii prædicationem, omnibus diebus, usque ad consummationem seculi. Paulus Act. XX. dicit. Ecclesiam suam Deus acquisivit sibi sanguine suo. Quod itaq; Deus moritur, resurgit, & regnat in dexterâ patris, omnia sunt & fiunt in isto viro, quem foemina circumdedit pro nobis, ad salutem hominum, ut Deus in Christo & per Christum reficiat animas lassas, & saturet animas sollicitas Rom. VIII. Christus sedet ad dexteram Dei & intercedit pro nobis. Habes itaq; hic, quod Deus, sive Filius Dei Christus, qui in terrâ Israel suscepit hanc nostram mortalem vitam, consummavit in terrâ Iuda in Ierusalem, & ubi suaviter ibi dormierat resurrexit ibidem, & incepit ibi per Spiritum Sanctum regnare &c. Quemadmodum Christus prædicit discipulis, Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur ibi omnia, quæ dicta sunt in Prophetis de filio hominis. Hactenus Bugenhagius Noster, cujus eruditam & piam sententiam temerè sugillandam haud duxerim. Si cui ea non placeat, Osiandrum sequi poterit, ita exprimentem. Ideo, Hebraicè: super hoc (quasi de somno suscitatus sum, & vidi populi mei miscrias, & somnus meus dulcis mihi fuerat: diu admodum indul-



AD CAPUT XXXI.

indulseram somno, id est: Ego quidem longo tempore visus sum populum meum parum curare: quando nimirum post ultimos Prophetas, qui post reditum ex Babylone sunt vaticinati, nullum amplius Prophetam illis misi. Itaque miseræ animæ prope modum defecerunt ex inopia puræ doctrinæ cœlestis: non enim ex Phariseorum concionibus solidas consolationes petere potuerunt. Quare, quasi de somno evigilans, respexi Ecclesiam meam, & perturbatas conscientias Evangelio meo, de remissione peccatorum, largiter & suavissime reficio. Qui enim Christi Evangelion fide recipiunt, veram animarum suarum refectioem inveniunt, juxta illud: Venite ad me omnes, qui laboratis, ac onerati estis, & ego reficiam vos: Matth: XI.

Vers. 27.

SEMINABO DOMUM ISRAEL.

*Idest, replebo.*

Vers. 28.

ET SICUT VIGILAVI

*Sedulus fui.*

Explicandum specialius: qualis *repletio*, & quæ *beneficia* hæc fuerint. De *corporali multiplicatione*, ut apparet, intelligit Grotius. At de Ecclesiæ propagatione, non de Israelitarum corporali multiplicatione agere Prophetam, scopus ac contextus evincunt, de quo facile Interpp. inter se consentiunt, ne exceptis quidem antiquioribus Judæis. Hi enim vocationem gentium hic comprehendunt; In *Midrasch R. Nachman* ita habet; *Semen hominis illi sunt Israel, sicut dictum est Ezech. XXXIV. 31. Et vos oves meæ, oves pascuæ meæ homines estis. Et semen bestiae illi sunt profelyti sive conversi ex gentibus.* B. Bugenhagenius ad hunc locum hæc tradit; **UT PER SEMINEM.** *Satis quod ad victum attinet Judæis datum est, & multiplicati sunt post captivitatem Babylonicam in terrâ Juda & in terrâ Israel, sed tamen Israel non est redditus suis agris & possessionibus; Hic autem dicit Deus, quod vult rursus erigere utramque domum in unum regnum Davidis, quemadmodum & ex Micha dictum est.* ego te

Q

Ja



ANNOTATA AD JEREMIAM

Jacob totum congregabo, & reliquias Israel in unum adducam. Ego ut pastor eas simul in unum ovile colligam, quasi gregem in caulas suas, ut strepens sonitus ibi audiatur multitudinis hominum &c. *Ezechiel quoque, & Jeremias aperte predicunt de uno pastore & Rege David, ut ante indicavimus. Hof. cap. III. sic dicit.* Postea convertentur Filij Israel, & requirent Dominum Deum suum, & Regem suum David, & glorificabunt Dominum, & gratiam ejus in novissimo tempore. *Et cap. II. erit numerus filiorum Israel, ut arena maris, quæ neq; mensurari neq; numerari potest. et futurum est, ut in loco, ubi dictum est, Vos non estis populus meus, ibi dicatur ipsis: ò filij Dei viventis! Congregabuntur enim filij Juda & filij Israel simul, & adhærebunt pariter uni capiti. et ascendent ex terrâ, quia magnus erit illa dies Israel, id est, seminis Dei. De quo semine Dei, & multiplicatione populorum in uno regno Davidis, id est, Christi, etiam hic dicit Jeremias, ecce dies veniunt, dicit Dominus, videlicet post resurrectionem meam, ut perseminem domum Israel, & domum Juda, id est, totum regnum Davidis, Christi, multo semine, videlicet & hominibus & jumentis. Non erit ibi semen hominum, quo seminentur & generentur homines, nec erit ibi semen jumentorum, quo seminentur & generentur jumenta, sed erit semen meum, dicit Dominus, ego ipse seminabo & perseminabo in totum regnum Davidis, semen Dei erunt ibi homines & jumenta. Quid est hoc aliud, quàm quod Hosea dicit: Israel, id est, semen Dei, & filij Dei viventis; quod de novo Testamento dictum, testis est etiam Paulus Rom. IX. Si filij Dei erunt homines & jumenta, de quibus hic dicit, certum est, quod hic rursus loquitur de monte Sancto, & de habitatione justitia, id est, de regno Christi, in quo omnes habitatores sunt Sancti & justii, ut ante dictum est, id est, filij Dei. Homines ergo dicit Judæos, Jumenta gentes, quas Judæi præ se contemnebant ut bestias. Hi simul erunt semen, id est filij Dei, in regno Christi, Job. 1. Quotquot autem susceperunt eum, sive Judæi, sive Gentes, dedit eis potestatem filios Dei fieri, ijs qui cre-*

dun



AD CAPUT XXXI.

dunt in nomen ejus, qui non ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. *Jacob Patriarcha filios Dei in Regno Silo, id est, Christi, vocat pullum Christi, & filium asinae Christi. Gen. XLIX. ligans ad vitem pullum suum, & ad palmitem filium asinae suae; in Psal. LXVIII. vocantur animalia & pecora Dei; sicut & greges ovium saepe solent in Scripturis vocari. Animalia, inquit, tua habitabunt in ea, tuis bonis pauperem consolaris Deus, Dominus dat verbum & exercitum multum Evangelistarum &c. Christus aperte haec Job. X. sic expressit: Ego sum pastor bonus: Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis. Adhuc alias oves habeo, id est, gentes, quae non sunt ex hoc ovili, id est, non sunt Judaei, illas oportet me adducere, & fiet unus pastor, & unum ovile. Haec Bugenhagius. Si durum per jumenta gentes designari, eorum multiplicatio addita intelligi potest, ut exprimeretur, fidelibus etiam non defuturam terrenam & corporalem benedictionem; quia per Jumenta omne genus divitiarum, quae olim pecudibus aestimabantur, unde nomen pecuniae ortum, designari potest.*

Verf. 29.

NON DICENT ULTRA; PATRES COMEDERUNT UVAM ACERBAM, ET DENTES FILIORUM OBSTUPUERUNT.

*ὄμφαξ, id est, ova acerba, vim habet multum adstringentem. Hoc adagium Judaei usurpabant, ut videre est Ezech. XVIII. 2. quasi dicerent:*

*Delicta majorum immeritus lues;*

*Romane.*

*Non dubitandum est, quin Deus, omnium hominum opifex, ac propterea Dominus, possit parentes ita meritos punire ex silio, etiam ad posteros permanente; sed huic summo juri bonitas ipsius tandem modum imponit, partim propter ipsorum posterorum egregias virtutes.*

2 2

No







ANNOTATA AD JEREMIAM

us zelotes, vindicans iniquitatem patrum in filios, usq; in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me. *Hæc ipsa promissio & Evangelica sententia multis verbis expressa est Ezech. XVIII. Lege illic totum caput. Patres comederunt immatura, id est, peccaverunt, & Deum ad iracundiam concitaverunt, & dentes filiorum obstupescunt, id est, nos posteri eorum punimur propter peccata patrum, quemadmodum etiam queritur in Threnis noster Jeremias cap. V. &c.* Secundum legem filij portant iniquitatem Patrum, qui in peccatis Patrum perseverant. Secundum Evangelium autem vel novum pactum, quod hic promittitur, filij qui credunt in Christum, non portant peccata Patrum, sed habent remissionem omnium peccatorum, ut mox hic audies. *Nam Christus à maledictione legis absolvit credentes. Qui verò non crediderit, condemnabitur. Quod hic sic dicit. Quisquis comederit immatura, id est, contempserit Deum, & peccaverit; ejusdem dentes stupefcent, id est, ipse propter peccatum proprium condemnabitur.* Prior tamen explicatio nobis simplicior videtur, ut prædicat Jeremias, cum quod agniti sint fideles peccata; Tum quod (veluti sequitur vers. 31.) vi pacti gratiæ remissionem eorum consecuturi sint.

Vers. 31.

ET FERIAM DOMUS ISRAEL ET DOMUS JU-  
DA FOEDUS NOVUM:

*Renovabo fœdus per Prophetas meas: Vide Neb. IX. 38. X. Solet autem id fieri, ubi pars altera fœdus infregit.*

Vers. 32.

NON SECUNDUM PACTUM QVOD PEPIGI  
CUM PATRIBUS EORUM, IN DIE QVA AP-  
PREHENDI MANUM EORUM, UT EDUCE-  
REM EOS DE TERRA ÆGYPTI.

*Nam illud pactum dicit: Ego sum Dominus Deus tuus, qui te eduxi de terrâ Ægypti. Hoc autem beneficium majore ac admirabiliore beneficio obumbrabitur. Esa. XLIII. 28.*

Q 3

QVOD



ANNOTATA AD JEREMIAM.

QVOD IRRITUM FECERUNT,

*Multis gravibus ac diuturnis peccatis, de quibus vide Esaiam, hunc Prophetam, & Nehemiam cap. IX.*

Depravatio insignis promissionis augustissimæ; Quæ, ut apparet, in gratiam Socinianorum, ac similibum, qui è libris Veteris Testamenti promissiones vitæ aternæ eliminare, & expungere conantur, suscepta est, quem scopum ad vers. 33. haud obscure prodidit; imò etiam in gratiam Judæorum, qui vetus Testamentum non abrogari, sed tantum renovari debere, vi hujus oraculi contendunt. Sic enim explicat R. Isaac in Chissuk cap. XXIX. cujus *Φλυαρίας* disjecit Dn. D. Mullerus in Judaismo pag. 726. *Nam de novo fœdere agit Propheta, & abrogationem veteris indicat, cum novum promittit.* At Grotius de veteri intelligit, ejusq; solum renovationem indigitari vult. *Diversum planè fœdus Propheta innuit, cum ait, fœdus novum ferire Dominum, non secundum pactum, quod fecit circa educationem de terrâ Ægypti in monte Sinai.* At Grotius non diversum pactum, sed solum diversitatem beneficiorum educationis istius ex Ægypto & educationis è Babylone significari vult, quo ceu *majori ac admirabiliore beneficio* prius adumbratum esse falso putat. Nam majus ac mirabilius utiq; beneficium fuit, multis ac stupendis prodigijs & miraculis, cum stupenda traductione totius populi Israelitici per mare rubrum, & horrendâ suffocatione totius exercitus Pharaonici in eodem, conjunctum, liberationis ex Ægypto beneficium, quàm liberatio è Babylone duarum tribuum Israelis. Neq; locus Esa. XLIII. 18 quicquam huc facit, ut doceatur, hanc liberationem majorem ac admirabiliorrem esse: quia non agit de liberatione à captivitate Babylonicâ ut ibidem monuimus. Quomodo adversus Judæos insignis hic locus urgeri possit, videatur DN: Mullerus pag. 673. seqq.

ET EGO DOMINATUS SVM EORVM, DICIT  
DOMINVS.

*vertere licet, Et ego eorum maritus mansissem. Sed*

LXX



## AD CAPUT XXXI.

LXX. pro *בְּעָרְבָה*, *legerunt בְּחָרְבָה*, *ideoq; verterunt, ἰγώ η̄- μέλησα αὐτῶν*. *Nilil causa est, cur hoc improbemus. Illi me neglexerunt, ego eos vicissim neglexi.*

Temerè ac perversè translatio Græca præfertur textui Authentico, neq; aliter legisse LXX. Interpp. etsi aliter verterunt docet Buxtorff. Vindic. pag. 675. Neq; causa est deserendi vulgaram versionem, quæ Ebræo fonti apprimè consonat. *Dominium* autem *coactionis* intelligitur, quemadmodum B. Lutherus reddidit, cum B. Bugenhagio: Quod explicat Osiander: **DOMINATUS SUM EORUM**, id est, *necessè habui ipsos, tanquam servos, non tanquam filios tractare, propter ipsorum transgressiones multiplices, & insignem eorum pervicaciam* Quæ *περιφροσύνη* designari *naturam fœderis antiqui* rectè observarunt nostri, quod nempe id non modò impleri non possit: Quemadmodum ab Israelitis id irritum omne redditum; sed quod etiam cum *dominatu* ac *coactione* conjunctum sit, quia cogit invitos ad obsequium. Lex enim Mosis neq; impleri ab ullo potest perfectè, & ad obedientiam tamen omnes cogit, omnibus obsequium extorquet sub fulmine maledictionis. Quia non confert Spiritum Sanctum, qui libertatis est Spiritus. Ideo opera legis, quæ fiunt à non renatis, ab invitis & coactis fiunt; unde opus erat novo fœdere, quod & remissionem peccatorum afferret, quia lex impleri non poterat, & Spiritum Sanctum conferret, ut mandatis divinis obedientiam spontaneam præstaremus. Sub lege est *coactio*, *pœna*, & *damnatio* sub gratiâ est *libertas*, *obedientia*, & *voluntarius cultus*. Quia verò hanc doctrinam de discrimine veteris ac Novi fœderis, ex hoc loco illustri & parallelis scripturis, imprimis etiam ex Epistolâ ad Hebræos, quæ hunc locum prolixè tract. c. iix. & ix. eximiè declaravit B. Bugenbadius noster, qui inter primos fuit Evangelicæ doctrinæ è verbo Dei restauratores; non pigebit ejus explicationem, utpote solidam, ac luculentam adducere, quam tum Papistis, tum etiam sectarijs ac Sacramentarijs opposuit. Hos enim egregiam pœnam sustinere sui contemptus censet, dum Evangelico-

rum



ANNOTATA AD JEREMIAM

rum scripta & doctrinam, contemnant, siquidem ostendunt nihil de abolitione legis, quæ per fidem in Christum est, se intelligere, ac ne vocabula quidem percipere, ut sciant, quodnam sit vetus, & quodnam novum Testamentum. Quod hic etiam in Grotio videmus. **FOEDUS NOVUM: DICENDO NOVUM**, inquit *ὁ μὲν ἀρχαῖος ὁ νοῦτος* noster, *abolet vetus, ut argumentatur etiam Epistola ad Hebræos, quemadmodum & apud homines, testamentum posterius abrogat prius. Id quod & Jeremias sic declarat verbis Dei; Nam ut erat Fœdus, quod pepigi cum patribus ipsorum, quando apprehendi manum ipsorum (quemadmodum apprehenditur manus parvuli, ut ducatur) & eduxi eos ex Ægypto, videlicet in monte Sinâ. Aliud ergo hic est pactum, quam illud vetus. Siquidem illud erat veteris hominis, & justitiam ejus exigebat coram Deo, quam ipse non habebat, nec habere potuit, impossibile enim erat per legem mandatorum hominem justificari, ut Paulus docet in actis Apostolorum, & in Epistolis suis, & ipse jam justificatus per Christum de se conqueritur Rom. VII. & c. Quid ergo ex lege sperares de non justificatis? Promisit quidem Deus Ero vester Deus, sed addit conditionem legis nobis impossibilem, si manseritis in meis mandatis. Maledictus qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut supra dictum cap. XXX. Hanc maledictionem legis & damnationem nostri transtulit in se Christus, & abolevit credentibus, non tantum abolevit ceremonias, alioqui, ubi esset remissio peccatorum, imputatio justitiæ, donatio Spiritus Sancti & vitæ æternæ, quæ habemus per Christum solum, & propter Christum solum, & in Christo solo, fide ei inserti & filij Dei facti? Hoc est novum Testamentum, sed novis, qui fide & Spiritu Dei innovantur, exuti vetustate literæ, sive legis veteris. Sine hoc Testamento vel pacto novo omnes homines, usq; ad finem mundi, non solum illi increduli Judæi, manent sub lege, sive Veteri Testamento; Non enim sunt sub gratiâ Rom: III. etiam si religionem angelorum sibi finxerint, Col. II. Sic Paulus ait ad Gal: Christum factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum Dei reciperemus, non jam servi*



servi sub lege, sed liberi sub gratiâ. *Et Rom. VIII* Quod impos-  
 sibile erat legi, quia imbecillis erat per carnem, hoc Deus pro-  
 prio filio misso sub specie carnis peccati, præstitit, ac de pec-  
 cato condemnavit peccatum per carnem, ut justificatio Legis  
 impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus,  
 sed secundum Spiritum. &c. *Vetus Testamentum, sive Lex Dei re-*  
*velat peccatum & exigit justitiam, Novum autem Testamentum*  
*sive Pactum, quod est Evangelium, condonat peccatum, & confert*  
*justitiam. Illo omnes rei tenentur morte aternâ. Hoc omnes*  
*absolvuntur, & accipiunt vitam aternam. Illic vetustas litera occi-*  
*debat, hic novitas Spiritus vivificat. Non enim Evangelio, ut*  
*lege, terrentur conscientia, sed consolationem accipiunt à DEO*  
*aternam. Et sicut lex, ita & legis sacerdotium inutile erat ad pu-*  
*rificandum conscientias coram Deo. Habuit quidem placationem,*  
*& remissionem peccatorum, sed legalem, id est, externam. Sepa-*  
*rabantur enim homines, qui contra legis præscriptum opere externo*  
*peccabant, id est, ut nunc dicimus, excommunicabantur, &*  
*rursum vel ablutionibus, vel sacrificijs in lege institutis recipiebantur*  
*in externam illam populi & cultus Dei communionem. Christo*  
*verò novi Testamenti Sacerdos, & Mediator inter Deum, &*  
*hominem, verè in conscientiâ coram Deo pacificat, & sanctificat in*  
*eternum, ut simus non solum Sanctorum & hominum & angelo-*  
*rum participes, sed etiam consortes divina nature per ipsum. Hic*  
*Christus non est Sacerdos Leviticus, aut legalis, sed sacerdos eter-*  
*nus, in dextera Dei interpellans pro nobis, benedictio omnium co-*  
*gnationum terræ, sed secundum ritum Melchizedec, id est, Sacerdos*  
*liber, qui sine lege justificet, & gratis suscipiat peccatores; Propiti-*  
*atorium nostrum Rom. III. Thronus gratiæ Heb. IV. Advocatus a-*  
*pud patrem i. Joh. II. qui sedet ad dextram Majestatis in excelsis*  
*purgatione peccatorum per semetipsum factâ. Heb. I. Propter*  
*Christum lex non habet jus nos accusandi, tantum abest, ut habeat*  
*jus damnandi; Propter eum enim non imputatur nobis transgressio*  
*legis, id est, peccatum, & propter eum omnia nostra sunt accepta*  
*Deo. Quicquid legis, aut operum in Scripturis commendari lege-*  
*ris, non intellige placere Deo sine mediatore Christo: sine fide enim*  
R
impos-



impossibile est placere Deo. Hæc fiducia in Christum contritorem Capitis Serpentis, & benedictionem omnium gentium, olim veteres illi justificati sunt, & hujus novi Testamenti participes facti. Nemo enim unquam aliter justificari potuit. Sed obscurius ista tradebat Evangelium. Semen mulieris conteret caput serpentis, non Lex, aut opus nostrum conteret, in semine tuo, o Abraham, benedicentur cunctæ cognationes terræ, non in lege, aut operibus humanis; ut taceam Sacrificia, & figuras, sive significationes legis in Christum respicientes. Prophetæ autem, sive sancti Prædicatores ista clarius declarabant, ut ante dixi de Adam; maxime in Psalmis, quod non lege, sed misericordia Dei, quæ est in Christo, salvamur &c. Ut videas unam semper fuisse fidem justificantem coram Deo, etiam apud veteres Patres, quæ & apud nos est. Hinc autem non sequitur vetus & novum Testamentum idem esse, nec differre, nisi in modo tradendi, ut quidam nuper indoctissime scripsit. Hæc gratia hic à Deo promittitur invulganda, & danda domui Israel, & domui Juda, id est, toti Regno Davidis, id est, Christi, quod est regnum cælorum à Jerusalem per Evangelij prædicationem dilatatum ad omnes gentes. Hæc Bugenhagenius: quæ passim magno Spiritu B. Lutherus in scriptis suis aureis exequutus est.

Verf. 33.

DABO LEGEM MEAM IN VISCERIBUS EORUM,  
AC IN CORDE EORUM SCRIBAM  
EAM.

Tanta in eos beneficia conferam, ut eorum non possint non meminisse. Sed & hic locus, & ille apud Ezechielem XI. 9. XXXVI. 26. suum quidem implementum, temporibus illis post reditum habuit, sed quod viam sternebat Evangelio, quo tempore hæc multo eminentiorem effectum habuere, per revelationem non dubitandam vitæ æternæ, & vim ingentem Spiritus super Christianos, etiam qui in plebe erant, effusam.

En ineptam textus illustris depravationem! Dabo legem  
meam



AD CAPUT

*meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, id est, tanta in eos beneficia conferam, ut eorum non possint non meminisse. Non de beneficiorum perenni memoriâ, sed de legis divine in corda inscriptione loquitur Propheta; quæ toto cœlo distant. Legem servari non potuisse, pactum vetus irritum redditum esse, antea docuit: Nunc ergo promittit, legem sese in corda ipsorum inscripturum, in monte Sinai lex in tabulis Saxeis inscripta fuit. Hic ergo promittitur legis inscriptio in viscera nostra, & in corda; quæ fit, cum doctrina cœlestis per Spiritum Sanctum cordibus nostris imprimitur, & veluti digito Dei inscribitur, ut cognitionem salutarem Dei, & veram fidem, quæ per charitatem efficax est, consequamur, ac secundum legem Dei vitam nostram instituamus, ambulantes non secundum carnem, sed secundum Spiritum. Osiander ita *ωραφραφει*: *Olim scripsi legem moralem Decalogum, in tabulis lapideis: sed ea mansit in lapidibus; non ita penetravit in corda, ut prompto animo eam doctrinam amplecterentur, & ex animo vitam suam juxta eam normam instituere. (Etsi enim particula legis, ex primâ creatione, manet in cordibus hominum, tamen ea exigua est, & magis extinguere, quum fovere eam student impœnitentes) sed longè erit alia ratio novi Testamenti, inquit Dominus. Ego enim per ministerium verbi ita inscribam Evangelium cordibus & visceribus Christianorum, ut illud avidissimè & arctissime sint amplexuri, & ex eo cognituri, quod simi Deus clementissimus. Et hæc agnitio paternæ meæ bonitatis (quæ apparet in beneficijs Christi) permovebit Christianos, ut quam diligentissime sint elaboraturi, ne quid committant, quod populum Dei non deceat. Itaq; talem mihi obedientiam præstabunt, ut etiam vitam meâ causâ profundere minimè dubitent. Non enim legis, sed Evangelij doctrina hominum e corda regenerat, ut ex animo Domino obediant. Porrò si per revelationem vitæ æternæ; & vim ingentem spiritus Sancti super Christianos effusam hæc promissa effectum suum consequuta sunt, quomodo de beneficiorum Dei memoriâ**





ANNOTATA AD JEREMIAM.

illa promissio explicabitur? Sunt hæ *ἐκθροισεις* disparatæ, & in-  
connectiles. Cæterum latet hic ὕψλλον Pelagio-Socinianum.  
*quod nempe priscis temporibus promissio vitæ æternæ facta non sit,*  
quodq; donum Spiritus Sancti reservatum fuerit temporibus  
Novi Testamenti: tum quod revelatio vitæ æternæ sola ad ob-  
serva tionem præceptorum Dei, nos satis inducat: quæ postu-  
lata in Socinianis alias profligavimus.

ET EGO ERO EIS IN DEUM, ET IPSI MIHI E-  
RUNT IN POPULUM.

*Ego ut Rex eos protegam; illi mihi, ut Regi, parebunt:*  
*supra VII.23. XI.4. XXIV.7. infra XXXII.38.*

Nimis diluta est interpretatio insignis promissionis.  
Non enim *protectionem* Deus promittit, sed cum se *Deum alicu-*  
*jus* fore pollicetur, quicquid à Deo expectari potest, spondet:  
*remissionem peccatorum, gratiam, justitiam, inhabitationem,*  
*communionem cum ipso, gloriam & beatitudinem æternam;* ut ex  
formula promissionis in Sacramento circumcisionis Gen. XVII.  
& explicatione Christi Math. XXII.31. & Apoc. XXI.7. constat.  
Neq; temere monent nonnulli, hoc loco peculiare quid, &  
Novo Testamento proprium, verbis: EGO ERO DEUS E-  
ORUM, promitti. Quod nempe respiciatur modus ille  
*μονότροπος*, quod Filius Dei Deus *noster* esse velit per *ἐνσάγνω-*  
*σιν*, quo factus est *Immanuel Deus nobiscum* Esa. VII.14. c. IIX. 8.  
Vide D. Mullerum l. c. p. 677.

Verf. 34.

ET NON DOCĒBIT ULTRA VIR PROXIMUM  
SVVM, ET VIR FRATREM SVVM DICENS: CO-  
GNOSCE DOMINVM.

*sensus est: non opuserit, ut alter alterum moneat*  
*ad reverentiam Deo exhibendam. Quod sæpe Hebræi per*  
*וְיָ significant*

OMNES ENIM COGNOSCENT ME.

*Omnes sponte me colent, ac rederebuntur, ob tam in-*  
*gentia benefacta.*

De



De spontaneo cultu Dei accipit Grotius, quod opus non sit futura excitatione mutuâ, ut alter alterum moneat. At de cognitione Dei, non de solo cultu, agitur. Neque hic ulla cultus affectio, τὸ ἐκείνου puta, vel quod sponte sine alterius monitu quis Deum revereatur, attenditur. Sed universalis omnium eruditio promittitur. Quod omnes futuri sint θεοδιδάκτοι, ut Christus docet Job. VI. 45. è vaticinio Esaia cap. LV. 33. Quo illuminationis & cognitionis novi Testamenti tempore ubertas, & plenitudo insinuatur, uti Esa. XI. 9. prædictum, terram plenam fore cognitione. neq; tamen hic tollitur medium cognitionis Domini, verbi ministerium, cum dicitur: non docebit ultra vir proximum suum: sed fidelium omnium sufficiens ad salutem notitia indicatur: quod non rudes sint notitiæ, & indigi in ijs, quæ ad salutem cognitu sunt necessaria, informatione, sed sufficienter instructi omnes fideles sint; quam verò non immediatè à Deo, sine verbi aut ministerij doctrinâ, consequentur. Id enim hic non respicitur, ubi solum τὸ ὅτι, quod Deum cognituri sint omnes, definitur, non τὸ πῶς, quomodo, aut unde, num immediatè Dei illuminatione, an mediante verbi & ministerij informatione! Non dicit hic Jeremias, aut negat, inquit Bugenhagenius pag. 365. quo medio Deus hoc sit factururus, videlicet per prædicationem Evangelij, atq; adeo contra istos ministerij Evangelij contemptores ante dixit, Adhuc audietur in terrâ Juda & in civitatibus ejus, dominus benedicat tibi &c: Item alibi de Novo Testamento, dabo eis pastores &c. Sic & Joel dicit; Et prophetabunt filij vestri, & filia vestra &c. nunc Mendax Prophetas, & dic sanctos Prophetas prædicere, quod in novo Testamento non erit publica prædicatio. Diabolus ipse ex te loquitur. Nam Christus propterea ascendit in altum, ut daret dona hominibus, Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Doctores, Pastores, Eph. IV. Sed quid nobis cum illâ insaniâ & blasphemiam vanissimorum hominum! Solus Deus dat legem suam, id est, Spiritum in corda, sed per prædicationem Evangelij. Sic enim ordinavit sue Ecclesie, ut Paulus Ephes. IV. dicit. Ignorantes fidei indigent doctrinâ Dei per verbum Evangelij, quia nondum credunt, si ve habent Spiritum



ANNOTATA AD JEREMIAM

tum, scientes autem indigent exhortatione & consolatione, & contra Hereticos & phanaticos Spiritus, defensione, ut persistant in verbo Dei, crescant in cognitione Christi, & fide perpetuo fiant fortiores; Et tamen quis docet, quis exhortatur, arguit, consolatur, confortat, nisi solus Deus suo Spiritu, sed per ministerium verbi? Spiritus enim est in nobis efficax per verbum. Id quod manifestè dicit Paulus contra hosce Phanaticos Spiritus, hunc Jeremie locum interpretatus 2. Cor. III. Vos, inquit, estis Epistola Christi, (id est, à Christo Principe nostro scripta, cujus nos notarij ac legati sumus] ministerio nostro à nobis conscripta, non atramento, (ut apud homines fit, & quemadmodum & Sacra & prophana extra homines scribuntur in chartas; Hic enim stulte diceret, scilicet, Paulum nunquam atramento scripsisse) Sed Spiritu Dei viventis (vides quod Paulus & Evangelici Prædicatores, prædicatione Evangelij scribunt Epistolam Christi, Spiritu Dei viventis. Nam Deus ipse donat Spiritum & fidem, & nullus alius: sed per ministerium verbi, per quod etiã absolvimur à peccatis. Unde nonnulli  $\sigma\upsilon\gamma\kappa\rho\iota\tau\iota\kappa\omega\varsigma$  hæc explicant, quod non, uti tempore Veteris Testamenti, gentes à Judæis doctrinam salutarem expetere opus habeant, sed quod quivis populi cognitionem dei habituri sint sub novo Testamento. Quem sensum adversus novos Prophetas Ministerium Lubecense, Hamburgense, & Lunenburgense im ausführlichen Bericht. S. 786. sequitur. Quæ explicatio utraq; conjungitur rectè ab Osiandro: Non erit exiguus numerus eorum, qui in me, Jesum Christum credent: sed omnes, quo quot Evangelion fide fuerint amplexi, habebunt veram & salutarem mei agnitionem: ita ut pueri etiam in me sint credituri: (Hic textus non tollit externum verbi ministerium, ut Euthusiastæ opinantur: quasi veram dei agnitionem extra ministerium verbi dei consequi possemus. Cui opinioni perniciose repugnat Paulus Rom. X. affirmans fidem esse ex auditu: Sed confertur magnitudo cognitionis Christi in Novo Testamento, cum eâ, quæ fuit in Veteri Testamento. Et enim hodie puer infans explicatius intelligit Mysterium redemptionis nostræ per Christum, quam olim, in veteri Testamento, fortasse aliquis ex præcipuis Sacer-

cer-



cerdotibus intellexit. Et notabile est, quod etiam minimis, (ut sunt tenerrimi infantes) in Christianismo, tribuitur hoc loco agnitio Christi, quae nihil aliud est, quam fides in Christum. Denique non opponitur haec notitia dei ministerio, per quod informat deus, sed humanis doctrinis, imo ipsi etiam legi, ut scite docuit B. Bugenhagenus. Quod hic dicitur, non docebit aliquis alium, aut frater fratrem, cognosce dominum, non dicitur de abrogandis Evangelij ministris, ut Satan vult in suis Prophetis. Nam & ipse Dominus Jesus predicavit, non solum incredulis, ut converterentur, sed etiam ijs qui jam crediderant, & illud pactum novum susceperant, hoc est, discipulis suis. Similiter & de fidelibus scriptum est, in Actis Apostolorum; Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, &c: Hi tamen Spiritum Sanctum acceperant: sic & Paulus predicat, & scribit etiam ijs, qui jam crediderant. Et nos tali ministerio carere non possumus, nisi velimus esse absque consolatione, absque verbo Dei, & Spiritu. Sed proprie hoc dicitur contra doctrinas humanas fingentes novas opiniones, cultus, & observationes, unde cognoscatur Dominus, & placetur Deus; & contra jactatores Spiritus, qui sua somnia, non verbum Dei docent, atque adeo etiam contra Mosen & Legem hoc dicitur, quae exigit quidem cognitionem Dei, sed non praestat. Nemo sub servitute Legis, multo minus sub servitute traditionum humanarum cognoscit Dominum. Nam Dominum verè cognoscere, est eum credere, esse Patrem nostrum, quo nemo pervenit, nisi apprehendat novum Testamentum, sive Pactum, promissionem gratiae in Christo Jesu, Domino nostro, quem admodum ipse dicit; Ego sum via, veritas & vita: nemo venit ad Patrem nisi per me: Item, haec est vita aeterna, o Pater, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. Hanc cognitionem Dei nullus homo docet, sed solus Deus suo Spiritu dat & scribit in corda & mentes hominum, licet per verbum praedicatum vel scriptum, ut cognoscant ipsum omnes, qui acceperint ab eo legem Spiritus in cor scriptam, à minime usque ad maximum, id est, tam populi, quam praedicatores, sive potius tam parvâ fide, quam magnâ donati.

Vers.



QVIA PROPITIABOR INIQUITATI EORUM,  
ET PECCATI EORUM NON MEMO-  
RABOR AMPLIUS.

*Sensus est: quia ostendi, (tantis nempe benefactis) me veniam dedisse ipsis criminum, neq; ultra ea velle exsequi.*

Summa hic comprehenditur Novi Testamenti, consistens in gratiosa peccatorum remissione, ut, præeunte Apostolo Ebr. IIX. Interpretes pleriq; observarunt. Glossa autem Grotij hætenus inaudita est, quasi de temporali solum pœna remissione, & corporalibus beneficiis res sit, quibus demonstravit Deus Israelitis, se veniam criminum dedisse. Non de Israelitis solum sermo est, sed de Ecclesiâ Israelis & Judæ nomine designatâ, adeoq; fidelibus omnibus, imprimis tamen sub Novi Testamenti tempora, ubi illustrior erit Dei cognitio. Neq; est corporalibus beneficiis colligenda venia criminum indigitatur, sed directè remissio peccatorum promittitur, ac discrimen in eo Veteris & Novi Testamenti, constituitur, quod vetus Testamentum quidem condemnationem ob peccata adferat, Novum verò remissionem peccatorum & gratiam exhibeat. Ideò Christus Novi Testamenti, docente Apostolo Ebr. IX. 15. mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori Testamento repromissionem accipiant, qui vocati sunt æterna hereditatis. Judæi ipsi referunt hæc ad tempora Messie, & de lege, vel doctrinâ novâ Messie explicant in libro Siphra, qui etiam Torath Koharim dicitur, & in Midrasch Kobeleth Eccl. II. 2, vid. Pug. Fidei part. III. distinct. III. c. XXI. 1. & VI. Autor Sepher Ikkarim lib. III. c. XIX. è Midrasch hæc refert: *Et utinam osculetur me osculo oris sui Cant. I. dixerunt, id jam non fuit, sed posthac juxta illud Jeremia XXXI. 31. 32. 33. Ecce explicatum tibi est, censere doctores nostros, omnes Israelitas posthac accepturos doctrinam alteram, ut prius, ex ore Dei immediatè, tempore nimirum Messie: ut docet R. Moses Nachmanides in Deut. sect. יצבי Restituetur homo illo tempore, nempe diebus Messie, in eum statum, in quo erat, antequam*



AD CAPUT XXXI.

*tequam peccaret primus homo, hoc est, quod dicit Scriptura Jer. XXXI, 31. 32. 33. Maimonides in summâ suâ Thalmudicâ tract. de Regibus, de temporibus Messie docet: Res occultas & profundas apertas fore omnibus.*

Verf. 35.

**QUI TURBAT MARE, ET SONANT FLUCTUS EJUS.**

*Id est, quo turbante maris fluctus insonant.*

Verf. 36.

**SI DEFECERINT LEGES ISTÆ CORAM ME**

*Si totus ille ordo nature cessaverit, tunc & ibid fier.*

**TUNC ET SEMEN ISRAEL DEFICIET**

*Hoc est, decretum Dei absolutum, & ut Paulus loquitur, ἀμσταμίλητον, ut semper & sit, & cognoscatur distincte ab aliis magna israelitarum multitudo.*

Verf. 37.

**SI MENSURARI POTUERINT COELI SORSUM.**

*illi coeli, qui supra astra sunt.*

**ET FUNDAMENTA TERRÆ DEORSUM**

*intima terra viscera.*

**ET EGO ABJICIAM UNIVERSUM SEMEN ISRAEL PROPTER OMNIA QUÆ FECERUNT.**

*Hoc Deus negat plane se unquam facturum. ita enim vult punire Judaeorum peccata, ut tamen aliquos eorum semper velit superesse.*

*Hæc in favorem gentis Judæicæ, quasi nihil aliud promittatur, quam Israelitarum conservatio, ut semper aliqua magna eorum supersit, ab aliis distincta multitudo. Gratulari ergo sibi de hoc advocato habent Judæi. At quid hoc est beneficii singularis, superesse aliquos è gente Judæâ, qui exules & extorres, desperabundi, & exclusi ab Ecclesia Dei per orbem errent! Hic e-*

S

niam



ANNOTATA AD JEREMIAM

nira non alius ipsorum status est, sanè infelicissimus, ut præstaret ipsos non esse, aut nasci, quam ad hanc infelicitatem superesse *Matth. XXVI. 14.* Non autem hæc de *Israelitis secundum carnem* præcise intelligenda esse, sed de Ecclesia Dei, universum vaticinium clamat. Huic ergò promittitur perpetua conservatio in his terris. Quod nunquam sanctum semen Deo defuturum sit, nunquam Ecclesia penitus defectura. Rectè Bugenhagenius illam complexus est: *Israhel, inquit, est abductus, Juda est abducendus in captivitatem. Ergò, inquiunt, peribit totum genus Israel? Respondet Dominus; Non, sed in novissimo tempore Ero Deus cunctis cognationibus Israel, & dabo vobis in terrâ vestrâ Christum, novum Testamentum, salutem totius mundi.* Hæc est summa totius hujus capituli, quasi dicat Deus; *Semper habebō populum Israel, etiam in captivitate, & post captivitatem, ex Judæis & gentibus, quemadmodum Paulus Israelem secundum fidem respicit, & filios Abrahæ Gal. VI. Rom. IX. Et tamen etiam Deus carnalem Israelem servavit usque ad Christum.*

Vers. 38.

A TURRE HANANEEL.

*Describit accurate totum urbis ambitum. Turris Hananeel est in meridiano latere. Nebem. III. 1. confer: cum hoc loco alterum Zach. XIV. 10.*

USQUE AD PORTAM ANGULI.

*Qui inter orientem & septentrionem in parte Benjamin. II. Reg. XIV. 13.*

Vers. 39.

ET EXIBIT ULTRA NORMA MENSURÆ IN CON-  
SPECTU EJUS SUPER COLLEM

GAREB

*Normam hic posuit pro linea, ut & alibi. Collis Gareb erat ad septentrionem, sed occasum versus, ita dictus, quod ibi se tenerent leprosi.*

ET



AD CAPUT XXXII.

ET CIRCUIBIT GOATHA

*Arcem rotundam ait fuisse Chaldaeus, forte ita dictam quod laboriosus illuc esset ascensus à ץ״ו quod κοπιὰν ἔμωχθεῖν vertunt Graeci: ea fuit ad occasum ἔ meridiam.*

Verf. 40.

ET OMNEM VALLEM CADAVERUM ET CENERIS

*Id est, Chaldaeo interprete, ubi maxima pars ceciderat eorum, qui erant cum sennacheribo. Ea ipsa est vallis Topbeth, in qua Molocho immolati cinefiebant. Esa. XXX.33. Hec regio ab occasu propius ad meridiem accedit.*

ET UNIVERSAM REGIONEM MORTIS.

*Graeci Hebraeam vocem retinuerunt מות השׁרמות ἀσπημωθ. Hieronymus legit מות השׁרמות, derivatq; ἀσπημωθ ἔ פות ἔ שדה, quorum illud regionem, hoc mortem significet. Aquila vertit περὶ ἀσπεία, vites puto suburbanas intelligens, qua dicuntur מות השׁרמות. At Chaldaeus aquæ ductus, a particulis duabus ח שׁ, ἔ מות ἔ רמה, quod est projicere. Videtur intelligere aqueductus factos ab Ezechia.*

USQUE AD TORRENTEM CEDRON,

Qui proximus valli Topbet,  
EX USQUE AD ANGULUM PORTÆ EQUORUM ORIENTALIS.

*Chaldaeus: ad angulum portæ stadij Regij, qui ad orientem. Hic designatio à meridie ad orientem redit. De hac porta Equorum vide Nebem. III.28.*

SANCTUM DOMINI.

*Omnia haec loca personabant Dei laudibus.*

S 2

NON



ANNOTATA AD JEREMIAM.

NON EVELLETUR ET NON DESTRUETUR ULTRA  
IN PERPETUUM.

*Id est, diu stabit urbs, postquam erit reparata.*

De urbe & structura materiali intelligit omnia Grotius. At non congruunt primò limites, quos hic posuit Dominus. Quos aptare quidem conatur Grotius; Sed omnia tamen minime conveniunt. Addit enim propheta, observante Bugenhagio nostro, alia loca extra Jerusalem, ut collem Gareb & Gaath, deinde & vallem cadaverum atq; cinerum, & totam regionem sive agrum mortis, quibus verbis significat Tophet & Gebinnon, usq; ad torrentem Kidron, qui est notus vel ex evangelio locus. conf. 1. Reg. II. Ait ergò, (ita pergit Bugenhagius) civitas Jerusalem, nunc quidem per Babylonios vastabitur, sed reedificabitur, ut ante dictum post captivitatem Babylonicam. Ubi autem pactum novum invulgatum fuerit, per virum, quem femina circumdedit, per contritorem capitis serpentis, vestrum Messiam, & scripta fuerit lex Dei in corda, abolito peccato, hoc est, ubi regnum Messie venerit, ad quod confluent omnes gentes, tunc erit adhuc longe alia Jerusalem. Multò augustior, quae extendetur & dilatabitur ad Aquilonem & ad occidentem; & ad omnes mundi partes, ut loca, quae nunc sunt extra Jerusalem, sint intra Jerusalem. Lege Zach. II. Nolite itaq; metuere: Populus Israel multiplicabitur, & civitas sancta, sive civitas Dei valde dilatabitur, & civitas sancta & Sanctuarium ita à Deo firmabitur, ut nunquam in aeternum possit rumpi & vastari, ut jam per Babylonios vastabitur. Quibus verbis manifestè describit dilatationem regni Christi in Judaea incipientis, sed carnali descriptione coram carnalibus. Nam in Jerusalem & templo, quod post captivitatem aedificabatur, non mansit postea lapis super lapidem, secundum Prophetiam Christi, nec illa Jerusalem sic unquam dilatata est. Jerusalem autem, quae sursum est, est mater nostra Gal. IV. Heb. XII. ad quam confluent omnes Gentes, & habitant Psal. LXXXVII. &c. Latior ergo erit nunc Jerusalem, quam terrena unquam fuit, aut erit. Nam antea in Judaea solum notus erat Deus. Nunc autem venient (Matth. VIII) ab oriente, & ab occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac



AD CAPUT XXXI.

Isaac & Jacob in regno cœlorum. Sanctum erit Domino, id est, hoc totum erit Domino separatum & sanctificatum. Regnum videlicet DEI in Christo; Hoc non vastabitur, neq; violabitur in æternum, quod de terrena civitate dici non potest. Hoc est æternum regnum Christi nobis in Prophetis promissum, & per Evangelium exhibitum.

Hoc etiam alij interpretes observarunt: Maldonatus, Gareb, inquit, & Goatha, duo colles erant extra urbem. Itaq; significat, amplificandam esse ultra terminos antiquos, ut supra vers. 24. & Isa. c. LV. 2 Et mysticè multo ampliorem futuram Ecclesiam Catholicam, quam fuerit Synagoga; Quia dominabitur à mari usq; ad mare Psal. LXXII. 8. & extendit palmites suos usq; ad mare, & usq; ad flumen propagines ejus Psal. LXXIX. 12. Vers. 40. VALLEM cadaverum. Ea enim erat extra Jerosolymam, qua ideo vallis cadaverum appellata fuisse creditur, ut ait R. Salomo & Jonathas, quia ibi Assyriorum cadavera, percutiente angelo, ceciderant. 4. Reg. XIX. 35. Et cineres ושריפה & cineres, id est, usq; ad vallem cinerum. Quæ, ut quidam Hebraorum putant, ita vocabatur, quod in eam sacrificiorum cineres projicerentur. Alijusq; ad vallem ושמן pinguedinis, id est, olivarum. Jonathas aquæductus, qui terram pinguem reddebant. Et universam regionem mortis. Sic existimant interpretes nostri appellatum esse locum supplicij, qualis est Parisiis mons Falconius. Sed Hieronymus ipse fatetur, se ex una dictione duas fecisse. ושמן-ים. quod ut notat R. David scribitur cum ו & legitur eum ו. & interpretatur R. Salomo omnia campestris, omnes regiones usq; ad vallem Cedron. De hac valle multa est in scripturis mentio: erat autem sita extra portam, quam gregis appellabant, & usq; ad montem olivarum porrigebatur, ut apparet 2. Reg. XV. 23. Hæc Maldonatus.

Porro cum omnia illa dicuntur fore Sanctum Domini, non tantum totam Hierosolymam personaturam Dei laudibus, significatur; Sed sanctitas prædicatur ecclesiæ per Hierosolymam adumbratæ. Quid enim, num Hierosolymam universam sanctam unquam fuisse admittemus? Manifestum ergo est ecclesiæ hoc esse elogium, quæ proprie est Sanctorum communio. De-



AD CAPUT XXXI.

niq; cum promissio ei fit: NON EVELLETUR, NEQUE DESTRUETUR  
 ULTRA IN PERPETUUM: perennis ejus conservatio innuitur.  
 Quæ insignis promissio perversè corrumpitur à Grotio: quasi  
 tantum diuturna conservatio designetur. Verba Prophetæ  
*perennitatem, non diuturnitatem* inferunt. Ideoq; palam do-  
 cent, non posse hæc de *terrena Hierosolymâ* accipi. Ea enim i-  
 ta everfa est à Romanis, ut ne *lapis* quidem *super lapidem* sit re-  
 lictus *Matth. XXIV.* Intelligenda ergo de Ecclesia Christi, quæ  
*super petram* Christum ædificata est, adversus quam nec portæ  
 inferorum prævalebunt *Mat. XVI. 17.* Atq; hæc de Capite XXXI.

CAPUT XXXII.

Verf. 36.

ET NUNC PROPTER ISTA, DICIT DO-  
 MINUS.

*Rectius veritas:* Attamen jam nunc dicit Dominus.

Verf. 37.

HABITARE EOS FACIAM CONFIDEN-  
 DENTER.

*Secure: ut supra XXXI. 6.*

Verf. 38.

ET DABO EIS COR UNUM, ET VIAM  
 UNAM.

*Faciam ut concorditer unam religionem profiteantur.*

Verf. 40.

ET FERIAM EIS PACTUM SEMPITER-  
 NUM.

*supra XXXI. 31.*

ET NON DESINAM EIS BENEFACERE, ET TIMOREM  
 EORUM DABO IN CORDE EORUM, UT NON RECE-  
 DANT A ME.

*sensus est, pluribus beneficijs reverentiam mei in  
 animis eorum excitabo. Ita locus hic interpretis est ejus,  
 quem supra habuimus XXXI. 33.*

Verf. 41.



ANNOTATA AD JEREMIAM.

Verf. 41.

ET LÆTABOR SUPER EIS

*Cum his verbis connectenda sunt quæ sequuntur; in toto corde meo, & in tota anima mea.*

CUM BENE EIS FECERO, ET PLANTABO EOS  
IN TERRA ISTA IN VERITATE.

*Cum bene eis fecero, id est, plantavero eos in terrâ hâc firmâ.*

Verf. 43.

ET POSSIDEBUNTUR AGRI.

*Eminentur: ut supra 15.*

ET SCRIBENTUR IN LIBRIS.

*in instrumento.*

ET IMPRIMETVR SIGNVM

*Vendentis, aut eminentis.*

ET TESTIS ADHIBEBITUR.

*Testes aliquot, ut supra 10.*

ET IN CIVITATIBUS CAMPESTRIBUS.

*הַלְוָה quod hic retinere Græci σιφιλᾶ, situm humilem significat.*

ET IN CIVITATIBUS QUÆ AD AUSTRUM  
SUNT

*Et hic Græci retinere Διπρυγῆβ id pro meridie, aut meridiano situ sapissime sumitur. Describit omnes Judææ partes. Vide infra XXXII. 13. Confer. Zach. I. 17.*

QUIA CONVERTAM CAPTIVITATEM EORUM.

*Id est, captivos, sive exules. Vide supra XXX. 3.*

*Merè corporales promissiones has facit Grotius: sed quamquam in posterioribus imprimis de reductione è captivitate sermo sit; promittit tamen Deus verbis prioribus ampliora, & insigniora beneficia, ac maximè gratiam Spiritualem. Quia, ut aliquoties monitum, promissio illa, ERO EIS IN DEUM quæcunq; bona, tum terrena, tum imprimis cœlestia complectitur. Et in*



ANNOTATA AD JEREMIAM

In illis: DABO ILLIS COR UNUM ET VIAM UNAM, *fidei unitatem & concordiam in verâ religione*, ut Deum in unitate Spiritus colant, sibiq; mutua caritate inserviant, contineri, nec ipse Grotius dif-  
fiteri potuit.

Deniq; pactum istud **SEMPITERNUM**, quod Domi-  
nus ferire vult, non restringi potest ad bona temporalia, sed  
complectitur præcipue *remissionem peccatorum* in Messîâ, quem-  
admodum è præced. vers. 31. seqq. constitit.

Verba: UT NON DISCEDAM AB HIS, UT BENEFACIAM ILLIS  
LXX. Interpp. reddunt ἢν ἔ μὴ ἀποσρέψω, ὅπισθεν αὐτῶν;  
quod (testamentum) non avertam post eos. Quocunq; modo  
vertamus illud, certum est explicationem esse *sempiterni Tes-  
tamenti*, ut hic Maldonatus, cæteri q; interpretes agno-  
scunt, Et hæc etiam ad Caput xxxii.

---

AD CLARISSIMUM DOMINUM,  
**M. POLYCARPUM CASPA-**  
**RUM LYSERVM,**  
WILHELMI FILIUM,  
POLYCARPI NEPOTEM.

Affinem & amicum dilectum.

**S**ic pia MAJORUM sequeris vestigia, Clare  
Magister, inter optimos  
Dum Sacra scrutaris Mysteria Scripturarum.  
DEUS adsit his conatibus,  
Atq; tuis Studijs POLYCARPI germina jungat,  
Ut pergat in TE GLORIA!

Abraham Calovius D.



05 A 1155

ULB Halle

3


003 766 195




UDNA











I. N. J.  
DISPUTATIONEM ANTIGROTIANAM  
IN  
CAP. XXXI. & XXXII. JEREMIAE

*Sub Praesidio* *Per.*  
DN. ABRAHAM CALOVII  
Theologi in Acad. VVittenb. Primarii, Consistorii As-  
sessoris, Pastoris & Electoratus Saxonici Supe-  
rintendentis Generalis; Domini, Praeceptoris, Patro-  
ni atq; Affinis reverenter colendi  
publicè defendet

M. Polycarpus Caspar Lyserus.  
In Auditorio Majori ad d. 12. Novembr.

WITTEBERGÆ  
Typis JOHANNIS BORCKARDI, Anno M DC LXIII.

